



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis
Dissertationes**

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

De Antiquitatibus Academicis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

I

DE
ANTIQUITATIBVS
ACADEMICIS

DISSERTATIO PRIMA

Habita xvii Octob. An. cccc xxxvii.

Tertius dies est, quum Natalem Academiae nostrae secundum post sexagesimum celebravimus. Votum quisque tum fecit in æde sacra pro ejus incolumente, simulque Deo immortalis gratias quas mente potuit concipere maximas egit, pro innumeris in eam divinitus collatis beneficiis. Namque soli profectò Deo debemus, quod, post tot clades, interque tot ruinas populorum atque urbium Germaniae nostræ, in hunc modum renata quasi sit Julia. Ab uno etiam illo speranda est in futurum salus, si quam salutem licet sperare. Cæterum nihil intermisimus tum quidem, quod ad officium nostrum pertinere videri potuit. Nunc unum quod supererat agemus. Nempe eundem nunc natalem oratione etiam aliqua celebrabimus: perinde ut votis ante hoc biduum ille quasi est consecratus. Nihil autem dubito, eodem animo eademque attentione, qua nuper estis usi, nunc etiam me perorantem vos prosequuturos. Scilicet non tam cogitantes, quis dicam aut quid dicam, bene nempe an secus, sed in cuius rei memoriam & laudem nunc sim locuturus. Est autem illa hæc ipsa Julia nostra: cuius omnes membra sumus, quæque omnes nos uno sinu complectitur. In ejus unius gloriam sanè vergere volo, quicquid sum allaturus.

A

Nec

2 DE ANTIQUITAT. ACADEMIC.

Nec tamen quidquam nunc dicam, sive in conditoris
D. Julii heredumque ejus Serenissimorum Brunsvic, Luneburg
 Ducum encomium, sive in nostræ scholæ commendationem.
 Sunt enim hæc jam toties dicta atque audita, ut omnium au-
 res his personent. Fortassis etiam isthuc agenti mihi non-
 nemo regere et illud Herculis laudatori olim objectum: *Quis*
illos vituperat? Sed nec in argumento multum ab hac solen-
 nitate alieno mihi versari vel licet vel libet. Dicam vero,
 pace vestrâ, Auditores, de origine Academiarum: materia
 neque tritâ multum, neque in vulgus cognitâ, neque inju-
 cunda, neque non apta huic festivitati. *Quis enim nolit sci-*
re, celebratus matalis alicujus Academiz, quando, quave
occasione, cœptæ sint institui id genus scholæ? Eas verò si
 contempleris, dubitaveris mirari ne magis debeas an com-
 mendare. Scilicet sunt reapse scholæ istæ nostræ, quas U-
 niversitates aut Academias nunc appellare consuetudo est,
 respublie quædam & civitates, etsi non omni ex parte suæ
 spontis, magna tamen. Non tantum enim doctoribus con-
 stant ac discipulis, sed & sua iis in suos est jurisdictione: adeo
 ut nonnullis, quas inter est & hæc Julia nostra, ne merum
 quidem & mixtum imperium quod appellant, desit. Quum-
 que alibi alia possint doceri ac disci, in scholis hisce regiis
 nihil majoris quidem momenti negligitur. Solæ etiam fermè
 hæc potestatem docendi possunt aliis facere, per gradus do-
 citorum auditoribus deductis. Quæ omnia quum sint lon-
 ge præclarissima instituta, fortassis & operæ nullum non pre-
 sum facturus sum, si qua origine isthæc cœperint explicavero.

Nec id verò commode præstari potest, nisi enarreremus
 instituta scholarum illustrium omnium, saltem pleraque, quo-
 quot hæc usque in tempora floruerunt. Quod hic quidem ut
 eo rectius fiat, mei quoque fuerit officii, re illa altius aliquan-
 to repetita, in nostrâ denique ætate desinere.

AGL

A G I T E ergo, loquamur initio breviter de Agyptiorum Chaldaeorum & Persarum scholis: utpote apud quas gentes regnum diu omnis eruditio fuit, & quidem multis ante seculis, quam ad Græcos doctrinæ cura pervenit. Agyptiis vero primum tribuemus locum, sive quod reapse primis illis eruditio propagatio fuerit animo, sive quod sibi primis hanc gloriam vindicent.

A E G Y P T I O S itaque quod attinet, sapientia omnis subtiliorisque doctrinæ curam solis sacerdotibus eorum fuisse cordi, compertissimum est. Neque vero aliter res sese facile habere potuit, quod philosophia, cum primis ejus quæ in contemplatione posita est, studia otium possulent liberale, quale tamen paucis concedi solet. Sacerdotes verò Agyptii eo affuebant, & soli quidem, ex more illius regionis, unoquoque ad paternum genus vitæ adstricto. Et verò fuerunt sacerdotali ordini agri publici aliique largi redditus, ipsique una cum suis omnium numerum immunes inque summo vixerunt honore. Ne nunc dicam quod in liberos propagaretur eadem vitæ conditio. Eò autem effectum est, ut nemo cogatur liberis suis operose divitias querere, ceu quibus abunde ex publico prospectum esset. Narrat isthac omnia Diodorus Siculus libro primo Bibliothecæ suæ. *Agros enim omnes totius Agyptii tres in partes fuisse distinctos;* quarum una sacerdotibus, una regi, tertia militibus cesserit. Ipsemet ita loquitur: *Totius regionis (que riparia est) primam sacerdotum ordo sibi portionem vendicat: in magna apud indigenas auctoritate & reverentia constitutus, rum ob pietatem indecos, rum quod summam ex eruditione prudentiam ad rem publicam adferunt.* Ex vestigialibus autem suis cuncta per Agyptum sacrificia procurante, ministrosque alios, & suis iudec uisibus necessaria depromunt. Neque enim deorum honores

4 DE ANTIQUIT. ACADEMIC.

nores mutari, sed ab iisdem eodem rite peragi: neque in commune omnibus consulentes necessariorum copia destituti, fas esse judicabant. Hi namque ut senatus principes regi perpetuo sunt praestō, qua opera, quā consilio & doctrinā, ipsum adjuvantes. Addit paulo post: Hi à cunctis oneribus sunt immunes, & primas à rege honoris & potestatis obtinent. Quæ omnia ab antiquo ita fuisse instituta, ex sacrâ Mosis historia nos discimus. Josephi enim prudentiâ omnes Ægyptiorum agros Regi cessisse, exceptis iis solis qui ad sacerdotes pertinebant, legimus. Quo tempore Magos quoque, sive ταῦτα γονταὶ, summa fuisse in existimatione constat: quos nullum dubium est sacerdotalis fuisse ordinis. Memphiticos enim sacerdotes magicis artibus Moysi restitisse autor est Artapanus, illo memorabili fragmento libri de Iudæis, quod habet Eusebius Cæsariensis nono de Præparatione Evangelicâ volumine. Dicam alias de eruditione Ægyptiaca, & quanta illa fuerit & quibus auctoribus propagata. Illud constat, penes hos sacerdotes Ægyptios fuisse tum scholas omnis melioris doctrinæ: & quidem per universam Ægyptum, et si præcipui horum fuerint Thebani, Memphis, & Heliopolitan. Et quidem apud Heliopolitanos commorati sunt studiorum ergò etiam ex ipsa Græcia Eudoxus ac Plato annos integros tredecim, ut Strabo loquitur: narrans monstrata sibi Heliopoli Eudoxi ac Platonis domicilia, quæ olim isti incoluerant, quamquam suo tempore sacerdotales illæ scholæ jam interiissent. Heliopoli, inquit, domos amplias vidimus, in quibus sacerdotes habitabant. Imò dicunt, hanc olim sacerdotum habitationem fuisse, hominum Philosophia & Astronomia deditorum. Nunc is ordo ac studium defecit, nec quisquam nobis tali exercitio præesse ostendebatur, sed homines tantum quæ sacrificia curarent, atque ritus eos peregrinis commonstrarent.

Vide lib. 1.
de Hermer.
Medicina

Strabo lib.
17. Geogr.

Sed

DISSERTATIO I.

5

Sed quo pateat clarius, quidnam professi sint aut docuerint illi sacerdotes Ægyptii, adeoq; in quibus versatae sint illorum scholæ, fortassis operæ fuerit pretium ceremonias nonnullas illorum hic adferre: præsertim quum easdem insignum miræ alicuius & insolite philosophiæ narret etiam ipsemet Clemens Alexandrinus. In processionibus itaque Clem.
 sacris, ubi omnem suam doctrinam ostentarunt, hunc illi Alex. I. 6.
 tenuerunt ritum. Primus processit ὁ ἀδός seu cantor, ge- Stromat.
 stans aliquod musicæ seu poëticæ artis symbolum. Cujus adde Por-
phyr. I. 4.
 fuit duos libros Mercurii didicisse, alterum deorum hym- περὶ
 nos continentem, alterum vitæ regiae θηλογισμὸν. Canto- ἀποχῆς
 rem sequutus est Horoscopus, gestans manib; horologi- p. 371. edit.
 um & palmam, duo sideralis scientiæ symbola: quique Lugdun.
 calluit quatuor libros Mercurii de siderum errantium ac
 fixorum motibus. Posthunc processit ὁ ἵερος αὐτοῖς, ca-
 pite alatus, & manu librum ac canonem junco atq; atramen-
 to instructum gerens. Cujus fuit profiteri hieroglyphi-
 cam scribendi rationem, mundi item ac universæ terræ, &
 seorsim Aegypti Nilique, descriptionem, ordinem item si-
 derum errantium, nec non alia ad sacrum instrumentum
 pertinentia. Hunc sequutus est σολιστὴς, callens omnes le-
 ges civiles ac sacrificiorum ceremonias. Quorum agmen
 clausit is quem Prophetam nuncuparunt, omnium pri-
 mas, voluminum τῶν ἱερῶν decem peritiam venditans,
 vestigialum (ut ego interpretor) sacerorum distributor.
 Fuerunt porro his sacerdotibus, ministrorum quasi loco, οἱ
 πατρῷοι ἄρτη medicam, sex voluminibus sacris Mercurij
 contentam, profitentes.

Vnde manifestum est, omnis generis doctrinæ pro-
 fessores isthoc in sacro ordine fuisse. Cæterum sua ist-
 hæc non vulgo quosvis docuerunt uti nos, sed in primis
 liberos suos, & si quos alios invenere haut indignos

DE ANTIQUITAT. ACADEMIC.

possessione tam præclarâ : raros ergo & in arcano. Ita enim & Moysen legimus omni Aegyptiorum doctrina fuisse imbutum : Græcos quoque illos , Orpheum , Musæum , Melampodem , Dædalum , Homerum , Lycurgum , Pythagoram , Solonem , Platonem , Eudoxum , Democritum , Oenopidem Chium , alios , longis in Aegyptum exiliis suscepis variadoctrina instructos rediisse.

Constat autem ex ante dictis , scholas illas Aegyptiacas nonnihil cum nostris habuisse quidem commune , in multis tamen fuisse nostris dissimillimas . Primò enim non patuerunt sine discrimine omnibus ut nostræ , sed paucis tantum , & quidem vix aliis quam sacerdotalis familie hominibus . Deinde ipsorummet doctorum longe lautissima fuit conditio præ ut est nostra : utpote quorum & liberis & uxoribus de omnibus vitæ subsidiis abundè fuerit prospectum . Porrò observare nihil est de honoribus & gradibus dissentium , nihil de regiminis aliqua forma reipubl. æmula , apud illos obtinuisse : quod apud nos valet maximè .

Quæ verò Aegyptiacarum scholarum instituta , eadem fuerunt penè & CHALDAICARVM & PER-SICARVM & INDICARVM . Refert enim Strabo , philosophis indigenis , iis qui Chaldæi appellantur , in Babyloniam constitutam esse habitationem . Quosdam eorum esse Borsippenos , quosdam Orchenos alias complures : qui tanquam per seatas iisdem de rebus alias atque alias opiniones sequuti sint . Alii scil . Borsippen urbem , alii Orchoën seu Vr oppidum incoluerunt , alii alibi habitavere . Diodorus Siculus scribit , Chaldæos Babyloniorum vetustissimos eum in republ. ordinem tenere , quem Aegyptii sacerdotes sibi vendicant . Deorum enim cultui addictos per omne vitæ tempus philosophari , & præci-

Strabo 1.
20. Geogr.

Diodor. Si.
cul. 1. 2. Bi-
bliot. c. 29.

principiam ex Astrologia gloriam nancisci. Doctrinam autem non eo modo quo Græci percipere. Apud Chaldaeos enim per generis seu familie traditionem philosophiam hanc obtingere, filiumque à patre illam accipere, ab aliis interim publicis muneribus liberum, accipere autem ab ipsâ usque pueritiâ.

De Persicis & Indicis scholis tantum non eadem narrantur. Sed nolo nunc omnia isthac recensere, ne cuius cœdium creem isthac narratione. Quantum verò omnes illæ scholæ ab institutis nostris absuerint, facile unicuius per se manifestum est: ut nec illud nunc operosè ostende-
re sit necessarium.

Veniamus potius ad GRÆCAS gentes, quæ præ aliis literarum gloria videntur floruisse, & à quibus ut magnam partem eruditio[n]is nostræ ita etiam nomen hoc Academiæ accepimus. Fuit sanè hæc gens olim præ aliis elegans ac culta, attamen (quod primò venit notandum) per quam sero literis dare operam cœpit. Vix enim quisquam paulo sapientior multum ante Persici regni exordia eâ quidé in gente vixit. Deinde etsi post complures passim docuerint omne doctrinæ genus, privatorum tamen potius illa cura fuit quam reipublicæ. Enimvero narrat Thucydides, Thuc. I. 4 Mycalessi ludum fuisse publicum: verum ille puerilis fuit, ubi scilicet more Græcæ gentis pueri legere ac scribere docebantur. Narrat enim, à Thracibus illum in ludum factâ irruptione, pueros recenter cum ingressos ad unum omnes fuisse interemptos. Cæterum de hujusmodi scholis, quales arbitror omnibus tum Græciae urbibus fuisse, sermonem non facio. Alias vero severioris atque accuratioris doctrinæ scholas nullas, publica auctoritate aut sumpta publico tum quidem temporis fuisse institutas, vel leviter res Græcæ gentis vetustiores scrutantibus, non potest non sta-

Vide de us
trisq; præ
ter alios
Porphyri.
l. 4. 712.
ἀποχής
pag. 393. 56
404. edit.

3. DE ANTIQVIT. ACADEM.

tim fieri manifestum. Qui enim primi in Græcis sapientiæ laude claruerunt, Thales Milesius, Anaxagoras, Anaximenes, Xenophanes, Parmenides, Melissus, Pherecides, Democritus, suam doctrinam nullis magistris Græcis sed potius Ägyptiis & Chaldæis debuerunt: ipsi vero scholas habuisse non memorantur. In Magna Græcia Crotone & Metaponti habuit quidem Pythagoras (ut Livii utar verbis) sætus juvenum emulantium studia doctrine; sed tantum abest publica auctoritate habuisse aut impensis illarum rerumpublicarum, ut tandem, jubente ita urbium magistratu, vel certè non reluctantate, schola ipsius una cum frequentantibus eam discipulis combusta sit. Similiter ab Äsculapii familia in artis medicæ operibus multi à pueris olim instituebantur, in duabus cum primis illis celeberrimis scholis, Coa nempe & Cnidia: non tamen illo publico decreto id actum, nec ulla in id domus publica fuit instituta. Jam porrò qui Oratorias & Politicas artes tum professi sunt Sophistæ dicti, Gorgias, Thrasymachus, Hippias, aliquae mercede docuerunt, at non publica sed discentium.

Tantum scilicet abest, illis temporibus sumptu publico civitatum nutritos fuisse artium scientiarumque doctores, ut ne locus quidem aliquis publicus magistris istis fuerit concessus. Testimonio certe vel unius Socrates possit esse; cuius tamen adhuc vivi eruditionem ac variam sapientiam saltim potissimi Atticorum civium maximè sunt admirati, qui que eam ob causam hominem summo in pretio habuerunt. Vixit ille vitam privatam, inops, nullo stipendio publico; & docuit non certo quodam inque docendi usum consecrato auditorio, sed modò in via publica, modò in taberna quadam, modò sub platano aut alia aliqua patula arbore. Eadem verò conditio fuit etiam illorum, qui aut artes

Mathe-

DISSERTATIO 2.

Mathematicas, Geometriam scil. Arithmeticam & Astronomiam, docebant, aut Poëtica vel Musica profitebantur. Præter has autem liberalium artium & philosophiæ medicinæque professiones non habuit tūm temporis illa cultissima terrarum Græcia magistros eruditionis: neque enim erant qui cultum divinum docerent in publico, aut Attici juris prudentiam profiterentur.

Primūm igitur (quod quidem constet) Platoni civi suo, forte quō crimen in Philosophiam Socratis damnationē commissum eluerent, locum nemorosum suburbanum, cui ab structore Hecademo sive Academo nomen erat Academiæ, in publicam scholam concesserunt elegantissimi Græcorum ATHENIENSES. Hoc initium est scholarum in Græcis publicarum. Idem Platone jam in fata concessio locum ad docendum idoneum in suburbanō gymna-
sio quod cognomento Λύπην audiebat (quasi Lupinum di-
cas) aperuerunt Aristoteli Stagiritæ. Antistheni quoque Cynicæ sectæ auctori in alio quodam suburbanō gymnasio, cui Κυνοτρύπης nomen, docendi locum tribuerunt. Zenoni porro Cittæo iidem ποικίλην illam στάν, sive Porticum picturis insignibus variegatam, in ludum publicum concesse-
runt. Potestatem quoque fecerunt iis magistris, quidvis sen-
tiendi ac docendi in suis scholis, leges item nonnullas scho-
lasticas condendi, successoresque sibi diligendi; quantum
quidem est colligere ex historiis ejus ætatis Philosophorum
Diogeni Laërtio memoratis.

Sed præter hæc nihil populus ille Atticus est largitus in studia literarum. Imo à populo illo loca isthæc omnia philosophis ultrò ac liberaliter data, certis testimoniis vix licet ostendere. Constat sane, ab Epicuro ipsum hortum in quo doceret emptum esse. Quicquid sit, nullo certe stipen-
Laert. in
vita Epic.
dio aliuit doctores, nullo nummo subvenit discentium ege-
stati,

stati, nullam fermè in discentes jurisdictionem magistris concessit, multo minus vacationem à muneribus publicis aut immunitatem aliquam docentibus vel discentibus dedit. Adde, loca ipsa scholis hisce dicata, Porticu exceptā, extra urbem fuisse sita, adeoque vix aliquid intra urbem tantæ rei ab Atheniensibus esse commodatum. Quod ipsum ut non significarit aliquem contemptum, in causa tamen fuit ruinæ, utpote quum hac occasione Philippus Demetrii Regis filius ipsa gymnasia Lyceum & Cynosargen teste Livio, Lucius Sylla etiam Academiæ & Lycei sylvas, teste Plutarcho in ejus vita, destruxerit. Præterea solis Philosophorum sectis concessæ sunt ejusmodi scholæ, non Oratoribus, non Medicis, non suæ religionis sacerdotibus, non civilium legum peritis: qui tamen & ipsi nisi recte sua docent vel discant non potest respublica esse salva aut bene instituta.

Sed & notandum in primis est; non unialicui, vel dun-taxat meliori, Philosophorum sectæ, aut ei quæ consentiret cum moribus atque institutis reipublicæ, concessam liberè docendi illam facultatem fuisse, sed sine discrimine in eam libertatem admissas varias admodum imò quasdam & noxias philosophorum hæreses, ut à se se invicem ita etiam à religione receptâ & legibus urbanis quam longissime dissidentes. Neque enim ulli sectarum istarum cum institutis ci-vilibus tunc omni ex parte convenit, sed singulæ pro sele istæ oppugnarunt impunè, imo non sine tacito multorum applausu.

Hanc verò planè Atticarum scholarum faciem, nullam aliam, observare etiam licet in aliis Græciæ populis. Qui tamen raras admodum scholas erexerunt. Etsi enim legamus & in Rhodo insula, & Ephesi, & Mytilenis, & Tarsi Ci-liciæ, ut & Massiliæ in Galliis forusse literarum studia: non

tamen

tamen facile quis dixerit, num doctores privatim in ædibus suis instituerint auditiones suas, an verò locis in id publica auctoritate dedicatis. Nam & Smyrnæ medicam nar.^{Strabo l. 12} rat Strabo scholam Erasistratæam habitam, sed privata auctoritate Hicesii. Idem testatur, & Laodiceæ ejusdem artis scholam Herophilæam conditam, sed itidem cura privata Zeuxjdis.

Sola ALEXANDRINA schola paulum meliore fuisse conditione videtur, quoniam, præ aliis Alexandri Magni successoribus, Ptolomæi reges eruditioni ac literis apprimè faverint studuerintque. Primò enim bibliotheca ibi à regibus publica instituta est immensis sumptibus; quæ tamen post dum urbs à Julio Cæsare occuparetur, conflagravit. Deinde in ipsa regia Museum (ita dixerunt quasi Musarum ædem) viris doctis constructum est, ubi ex publico alterentur. Id quomodo sese habuerit fortassis haud abs re fuerit ex Strabonis libro XVII. audire: Pars (inquit ille) regia est Museum in ambulacra habens & exedras & magnam domum, in qua convivunt & comedunt undique qui Musei consortes sunt, litterati viri. Habet autem hoc collegium & pecuniam sive vectigalia in commune, & sacerdotem item qui Museo praest, olim à Regibus nunc à Cæsare constituendum. Non adferam in medium quæ de illo Museo habent alii: id constat, simile nihil omnibus in locis ubi Græca instituta habita in pretio sunt, visum tunc fuisse. Imo brevi constabit, nihil simile aliquot etiam post seculis fuisse constitutum. Ceterum hoc excepto, plane Atticis scholis omnia fuerunt etiam Alexandriæ, Ptolomæorum quidem regum ætate, quam simillima.

Pervenerunt & ROMAM studia Græcanicæ eruditioris paulò post Punicum bellum primum. Nam illo tempo.

B 3

re L. Li-

Vide collec-
ta Lipsio
de Bibli-
oth. c. 2.

Vide eid.
Lipsio no-
tata l de
Bibl. c. 12.
De Museo
integrum
libri scri-
pserat Ari-
stonicus
teste Pho-
tio in So-
patri libe-
recensio-
ne.

II DE ANTIQUIT. ACADEMIC.

Gell. I.17. **c. ult. Plut.** **in Quest.** **Roman.** **Suet. I. de Grammat.** **re L. Livius poëta fabulas docuit, h. est spectandas populo exhibuit, & Spurius Carvilius iudum Grammaticum cœpit aperire. Sed adeo rudia fuerunt isthæc initia, ut Suetonius scribat, inter secundum & tertium Punicum bellum, sub ipsam Ennii mortem, demum studia Grammatica vel litteratoria ibi cœpisse. Statim vero post Punicum bellum secundum illa studia ita increverant, ut temporibus quibusdam (verba sunt Suetonij) super viginti Grammaticorum celebres schola fuisse in Vrbe tradantur. Advenerunt non longe post eò & Rhetores & Philosophi, suasque ibi scholas instituerunt. At hæc omnia, eave credas, publica auctoritate ita fuisse facta atque habita. Imò anno Vrb. Conditæ 592 Marco Messalla & C. Fannio Coss, Philosophi & Rethores Vrbe pulsi sunt edicto censorio: ut refert idem Suetonius Tranquillus. Notavit etiam disertè Eusebius in Chronico, primum Quintilianum publicam scholam Romæ & salarium è fisco accepisse: idque demum ævo Domitiani. Qui haec tenus scilicet docuerant Romæ, illi non loco aliquo publicè ad id instituto, nec mercede aliqua publica conducti docuerant; sed privatim pro se quisque aperuerat ludum, mercedem à discipulis exspectans. Meliora postea demum sunt instituta.**

CONSTAT autem ex iis quæ diximus, tametsi nostræ scholæ Academiæ cognomentum vulgò accipient ab illa prima publica Atheniensium schola Platoni collocatâ; longissimo tamen intervallo omnem Græcam scholasticam rem usque ad tempora Romanorum Cæsarum à nostris scholarum moribus absuisse. Quippe quum illâ ætate doctores vix potuerint locum aliquem ubi docerent una alteraque in urbe, per vastum illud terrarum spacium, ex publico accipere; tantum abest ut salario illis fuerint ex publico data vel jurisdictione aliqua concessa.

Vnde

Vnde etiam hoc manifestum est: et si Græcæ gentes valde se commendare soleant meliore atque elegantiore quadam cultura ingeniorum, multis tamen modis eas superatas docendi ritu ab Ægyptiis, Chaldæis, & Persis, quos isti tamen Græculi in Barbaris numeraverunt. Prudenter id observavit ac dissimulavit neutiquam ipsem Diodorus Siculus. Herba viri illius magni recentebo, et si verear ne eorum prolixitate tedium aliquod auditoribus creem. Horum omnium (inquit, de Chaldæis verba faciens) doctrinam non eo modo, quo Graci hisce studiis Diodor. 1.
dedizi percipiunt. Apud Chaldaeos enim per generis seu familiæ traditionem hac Philosophia obtingit, filiusque à patre illam accipit; ab aliis interim publicis muneribus omnino liberi. Es quia parentibus utuntur magistris, sit ut & affatim & circa invidiam omnia discant, & certiore fide præceptis attendant, & dum à pueris statim disciplinis innutriuntur, præclarum in Philosophia habitum sibi comparant, cum quod ætas illa docilis est, cum quod multo studiis tempore insudant. Apud Græcos vero plerique magna parte accedunt imparati, & Philosophiam hanc sero attingunt; operaque aliquatenus buc impensa, quarendi victus cura distracti, abscedunt. At licet pauci quidam Philosophicæ se palestra toros mancipant; hi ipsi tamen quæstus gratiâ discipline adhaerent, novasque de placitis maximis disputationes movent, nec fixum in majorum vestigiis pedem tenent. Quocirca Barbari iisdem jugiter inhærendo, firmiter singula percipiunt. At Graeci ex artificio lucrum captantes, novas condunt sectas, & de maximis inter se theorematis opinionibus contrariis disceptando, faciunt, ut discipuli sententias hic illuc anticipites fluctuent, animique ipsorum per omnem vitam suspensi dubique maneat, nec ulli rei certam tribuere assensionem queant. Nam si quis maxime insignes Philosophorum sectas examineret, plurimum inter se

discrepare, & in gravissimis sententiis sibi adversari comperies.

Hæc omnia Diodorus. Cujus sententiæ et si haud possim omni ex parte assentiri (nec enim tanti est quod à parentibus soli filii doctrinam hauriant, nec id apud Chaldaeos fuit omnino receptum usu , ceu constat ex sacra Danielis historia) pleraque tamen ejus nescio an quis prudens improbaverit. Certe exactius paulum intuentibus res Græcæ gentis, quales illæ fuerint isthac ætate , non potest non statim patere, scholarum illarum Philosophiarum varietatem in detrimentum potius reipubl. natam fuisse, quam in emolumentum doctrinæ. Athenienses certe me ritò accuses quod tam varias Philosophias, à religione & moribus civitatum non minus quam à semetipsis plurimum dissidentes, publicè doceri permiserint. Neque enim illa Philosophorum schola cum religione & legibus urbanis convenit: sed omnes instituta avita iverunt eversum, non impunè tantum sed & cum applausu potentiorum. Id quod et si non sit vituperandum quum res publica malis erroribus agitur, quumque emendatur statim illa ad certam unius alicujus disciplinæ atque doctrinæ normam; nullo modo tamen tolerandum est, si isthæc non fiant, imò vero si nulla una certa emendandi rem publ. ratio publicè instituatur. Athenis verò ut & alibi per Græciam, plebi manebat sua religio, manebant sua instituta planè adversa Philosophorum scitis , quæ tamen publicè & docebantur & exercebantur. Iam verò Aristippi & Epicuri scholæ in voluptatibus collocabant felicitatem & summam beatitudinem; à quibus licet dissiderent scholæ reliquæ, tamen nec ipsæ inter se de morum vitæque ratione conveniebant; & prætereat pleræque omnem cultum divinum non minus atque illa Epicuri disciplina tollebant è medio,

aut

aut ridebant, aut certè non nisi in speciem & dicis ergò providentiæ divinæ quidquam referebant acceptum. Unde non potuit non Athenis & in Græcia passim chaos aliquod variarum sectarum enasci. Enimvero quoties equidem illam Græciæ ætatem cogito, monstrum aliquod mihi videor cernere, aut terram variis religionum portentis confusam & sibimet mutuò adversam. Nec tamen ista promiscua quidvis sentiendi ac docendi licentia ante defit, quam Christiana doctrina, ~~omnibus~~ sectis illis contritis, unice cœpit esse in veneratione.

Etsi vero sub CÆSARIBVS quoque ROMANIS tam turbulentia & diversa fuerit docendi instituendique ratio, non nihil tamen melior tum cœpit esse docentium conditio. Paulatim enim salario ex publico illis concessa sunt. Ita narravimus ante ex Eusebii Chronicis, Quinctiliano è fisco (qui ærarium erat Cæsarum) salarium numeratum. Refert vero & de Flavio Vespasiano Domitiani patre in ejus vita Suetonius, primum illum è fisco Latinis Suet. c. 18. Græcisque rhetoribus annua centena constituisse, h. e. bis mille & quingentos Philippaos. At hæc liberalitas intra solos Rhetores & quidem Romanos stetit. Multis post annis demum Antoninus Pius etiam Philosophis stipendia & honores concessit & quidem *per omnes provincias*, ut narrat Julius Capitolinus. Omnis generis do- Capit. c. xix. *ctoribus annuam mercedem Athenis à Marco esse constitutam*, narrat Xiphilinus in ejus vita. Salaria autem provincialia isthæc fuisse sexcentorum aureorum Romano- rum, i. e. mille quingentorum Philippicorum, è Tatiano notavit clarissimus Casaubonus. Alijs tamen minus fuisse datum ex Luciani *Ennucleo* constat. Scribit enim singulis Philo- sophorum generibus ab Imperatore constituta fuisse decem millia drachmarum, quæ Romanis erant quadra- Casaub. ad Sueton. gona

gena sextertia, id est, mille Philippici. Hanc summam ab Imperatore illo etiam Theodoto Sophistæ ~~της νεώτερος~~
~~ωρεῶν~~ esse constitutam, testis est Philostratus l. 2. in Theodo-
to. Idem verò narrat, Apollonium Atheniensem Po-
liticam cathedram Athenis mercede talenti tenuisse. Ut
proinde pro cathedræ qualitate & merces fuerit alia atque
Vide Lips. alia. Et verò etiam Eumenius Rhetor in *Oratione pro re-*
l. 3. L. 9. c. 7. restaurandis scholis in Augusto Cliviensum opido, salarium se acci-
pere profitetur à liberalissimo Principe in sexcentis mil-
libus nummum, h. e. quindecim millia Philippicorum;
nisi in textu mendum sit, stipendum sane amplissimum.

Etsi verò ea ætate absque dubio per provincias mul-
ti passim Philosophi Rethoresque stipendio publico ha-
buerint scholas; fortassis tamen non multum post æta-
tem filiorum Constantini peræquè duravit hoc institu-
tum. Namque de ipsis Romanis professoribus, ætate
Valentiniani Theodosii & Arcadii scribit Symmachus l.
v. epist. 33, *Romanæ iuuentutis magistris detracta sunt subsi-
dia solennis alimonie.* At si id Romæ factum, multò magis
in provinciis, cum Imperii rebus simul labentibus & do-
ctrinæ studiis. Quanquam Romæ salario rediisse dixe-
ris. Extat enim apud Cassiodorum l. 9. epistola vicesima
prima ipsiusmet Athalarici Gothorum regis, quā ille ju-
bet solvi isthæc *salaria sine deductione, semestribus etiam fini-
gulis.*

Interea verò certum est, non Romæ tantum, sed & in
provinciis multas scholas publicas sumptibus reipublicæ fu-
isse eretas. Ut enim solas GALLIAS nunc respiciā, Eume-
nius Rhetor, quo de ante diximus, Augustoduni collapsam
scholam restituit amplissimo salario suaq; impensa. Extat &
Ausonii liber, quo ille prædicat professores Burdegalenses,
Tholo;

DISSERTATIO I.

17

Tholosanos, & Narbonenses alios. Vbi de Tiberio Vico
re Minervio professore Burdegalensi scribit:

Mille foro dedit juvenes, his mille Senatus

Adjecit numero purpureisque togis.

Me quoque &c.

Habemus & Valentis ac Gratiani Imperatorum Theodosii Lib. MI
ano in Codice rescriptum ad Præfectum prætorio Galliarum tit. 3. de
Med. &
Prefel. l. 12
in hæc verba: *Per omnes diæcesin commissam magnificenciam*
*qua, frequentissimis in civitatibus, que pollent & eminent clarissi-
mæ præceptorum, optimi quique erudienda præsideant juveniuri.*
Rhetores loquimur & Grammaticos Atticæ & Romanae doctrinae.
Quorum Oratoribus viginti quatuor annonarum è fisco emolumen-
ta donentur: Grammaticis Latino vel Græco duodecim annonarum
deductior paulo numerus ex more præstetur. *V*i singulis urbibus,
que metropoles nuncupantur, nobilium Professorum electio celebre-
tur. Nec vero judicamus, liberum ut sit cuique civitati suos do-
ctores & magistros placito sibi juvare compendio. Trevirorum
verò clarissima civitati uberioris aliquid putavimus deferendum:
Rhetori ut eriginta, item viginti Grammatico Latino, Græco et
iam, si qui dignus reperiri posuerit, duodecim præbeantur annona.
Hactenus responsum illud Imperatoris. Vnde discimus,
in omni provinciæ Gallicanæ metropoli scholam publi-
cam eream: at non Philosophiæ aut Medicinæ aut Juris
Romani disciplinæ, multò minus Theologiæ: sed solis Rhe-
toribus & Grammaticis, & quidem ita ut uno Rhetore &
duobus Grammaticis singulæ scholarum istarum consti-
terint.

Eadem ratio fuit & Scholæ Mediolanensis in Gallia
rogata, ad quam sese S. Augustinus docendi causa scribit
evocatum *I. V. confession. cap. 13.* Namque & illa nihil præ-
ter Rhetoricen & Grammatica docuit, ceu ex ipso Augu-
stino haud difficulter est discere. Celebrata imo est & in

C

Africa

18 DE ANTIQUITAT. ACADEMIC.

Africa Carthaginis schola, quantum appareat ex Apuleij Floridis. Nec dubitavit de illa scribere S. Augustinus: *Duae Urbes literarum Latinarum artifices, Roma atque Cartago.*

Ut autem Occidentalis Romani Imperii pars, ita & ORIENTALIS cum in Româ nova, Constantinopoli inquam, tum per provincias, scholas suas publicas habuit. Omnes tamen, quantum videtur, pari cum Gallicis ratione fuerunt; nisi quod Constantinopolitana Atheniensis Alexandrina & Berytiensis, nonnihil habuerint singulare.

Namq; ut de BERYTIENSI initio quid dicam, sola ferè illa videtur Romani Juris prudentiam docuisse. Sane nusquam hoc studium magis quam ea in urbe floruit. Et quidem floruit jam seculi quarti initio, immo fine tertii; quod liquet ex Codicis Justiniane titulo, qui est de iis qui astate vel professione se excusant. Ubi tamen perperā forte legitur Arabiæ vox. Phœniciaæ enim urbs non Arabiæ fuit Berytus: eòq; nihil etiam causæ fuit fortassis, quur Arabiæ scholaribus rescriberet quidquam Diocletianus ejusque collega Maximianus. Cum vos adfirmatis, ajunt Cæsares, liberalibus studiis operam dare, maximè circa Juris professionem, consistendo in civitate Berytiorum provinciæ Phœniciaæ, providendo utilitatibus publicæ & spesi vestre, decernimus, ut singuli usque ad viceimum quintum annum aetatis sua studiis non avocentur. Seculo quarto tanta fuit studiorum Juris ergo in existimatione Berytus, ut Eunapio audierit ejusmodi studiorum mater. Quinto seculo vixisse Zachariam Scholasticum, sive Rhetorem forte Berytiensem, post Episcopum Mytilenensem, illum cuius Dialogum adversus mundi æternitatem cum Origenis Philocaliis edidit Joannes Tatinus, argumento est, quod auctor ille significet vivere Alexandriæ Ammonium Proclum.

b. x. tit.
qui ex:

Eunap.
Berytus.

cli discipulum: qui est ille magnæ famæ filius Hermia^s A-lexandrinus Philosophus. Prodit vero ille Zacharias, Bery-<sup>tum. μανίας τελικόν, venisse quem juvenem Juris studiorum gratiâ, qui Alexandriæ antehac Ammonium audierat. Ut proinde etiam tum disciplina illa Juris Beryti floruerit. Imo quum novam Juri veteri faciem indere Justiniano Cæsari consilium fuit, evocatus ad illam operam Beryto est Dorotheus cum collega Anatolio. Ipsi autem illi Cæsari audit Berytus, non tantum pulcherrima civitas, aut ve-
renda & splendida metropolis, sed & civitas legum, quam legum, nutricem bene quis appellat. Tanti etiam aestimata tum urbs illa fuit, ut diserte caverit Cæsar, ne alibi quam Beryti & in utraque Roma jus Romanum doceretur. Imò id ipsum Cod. de
jam à retro Principibus constitutum esse, fatetur. Sed ea
dem tempestate Berytum ingenti terræ motu tantum non
funditus eversam esse, multis narrat Agathias Scholasti-
cus. Nec postilla temere invenias laudatam à Juris disci-
plina Berytum. Ut proinde & hoc terræ motu incendio-
que, & subsequentibus Sarracenorum incursionibus, o-
minem doctrinam ibi mox collapsam esse, sit verosimile.</sup>

ATHENIS videntur soli Rhetores & Philosophi flo-
ruisse. Etsi enim de Marco Cæsare scribat Xiphilinus: ἔδωκε
δὲ πῶν αὐθράποις διδασκάλοις οὐ ταῖς Αἴγαναις, οὐτὶ πάσης λόγου παι-
δίας μισθὸν ἐπίστον φέρεγγας: non alii tamen præter hosce à
quoquam memorantur. Et verò Politicam cathedram, cuius
meminit Philostratus in Apollonio, Philosophis, nisi fallor, li-
cet accensere. Sed & fortassis Philosophi ibi salario publico
non diu docuerunt, jam florentibus quidem Christiano-
rum rebus. Invenio sanè in vita Procli, illâ quam in magi-
stri laudem Marinus Neapolitanus conscripsit, Platonica^{Agath. l. 2.}
aliquam hereditatem, ita dictam, Philosophis cessisse in sa-

larium, verum non ex publico, sed quantum conicere est
ex gentilium nonnullorum privata liberalitate collectam.
Non privandus tamen laude mos est, cathedram conse-
quendi: aut non nisi post varias multorum concertatio-
nes, quarum meminit Eunapius in *Proæficio* sic fatis proli-
xe, paucis Philostratus *Heracleide*: aut liberali Cæsarum do-
no, quomodo cathedram philosophicam à se impetra-
tam esse fatetur Alexander Aphrodisiensis *l. de fato*, & de
Adriano Polluce ac Philisto Sophistis refert Philostratus.
Nec illud non meretur laudem: quod videatur Marcus
Cæsar omnibus doctribus unum aliquem præfecisse, qua-
lem fuisse Herodem narrat in *Theodoro* idem Philostratus.

*Phil. l. de
vñ. Soph.*

Zof. l. v.

Syna. ep. 19.

*Vide de
his omni-*

bis Suidā

lius, Syrianus.

Sed haud fuit etiam hæc felicitas fortassis diurna,
ut pote quum ab aliis scriptoribus non perinde illa memo-
retur. Et verò ingentem omnis prosperitatis jaæturam
ipsæ Athenæ fecerunt Arcadio & Honorio Cæsaribus, per
incursionses Gothicas Alaricho duce. Non enim Zosimo
temere credas, nihil damni dedisse urbi Alarichum, quasi
deterrente eum Minerva cum Achille; quia omnem Græci-
am misere tum direptam esse constat. Non desunt utiq; vel
hodie querelæ illius temporis scriptorum de ipsarum met-
Athenarum infelicitate. Certè Synesius qui illa ipsâ vi-
xit tempestate, non dubitavit Athenas pelli comparare
quæ animali consumpto supersit sola. Addens: Αἰδη-
γα πόλις μὴ πόλις, θεῖα σφῶν, τὸ δὲ τοῦ ἔχον, σεμνύσαντας οὐ-
μελιπέργοι. Etiam ita tamen mansisse Philosophicam ali-
quam & Rheticam scholam ad Justiniani Cæsaris usque
ætatem, certum est. Per omnia enim hæc tempora us-
que ad Justiniani Cæsaris ævum, Philosophiam quidem ibi
docuerunt successione magisterii, Plutarchus Nestorii fi-
lius, Proclus Lycius qui καὶ ἐξοχώ audit-

Plato-

Platonis *Alædōxō*, Marinus Neapolitanus, Zenodotus, ^{excerpsit}
 Damascius, Simplicius, magna philosophorum nomina. ^{ex vita illi}
 Ut taceam alios qui ibidem videntur vixisse, literarum glo- ^{dori per}
 ria claros. Certè ipsemet Severinus Boëthius per inte- ^{Damasciū}
 gros octodecim annos Philosophiæ gratia Athenis hæsit, ^{scriptus at}
 eeu legere est libro de disciplina scholarum: constat autem flo- ^{pud. Photi}
 ruisse illum seculo Christiano quineto. Adeoque quod ^{um.}
 Synesius subjungit: ταῦτ' ἀεὶ Εἰν ξυνωέσι τὰν οὐφῶν πλαγέ-
 χεῖν, ὅπιες δὲ τῇ Φημῃ τὰν λόγοι αἰρείσθαι εἰ τοῖς θεάτροις τὰς νέ-
 ας, αἱλλὰ τοῖς ἐξ τούτων σαυπιοῖς: id vero præcise de tempore
 illo intelligendum est quo scholæ philosophicæ præfuit
 Plutarchus Nestorii, quodque Gothicam tempestatem ex-
 cepit. Et verò non is fuit Plutarchus ille qui potuerit
 allicere auditores, nominis aut doctrinæ famâ. Eoque
 idem Synesius alibi rectè itidem scripsit de suo itinere A. ^{Syn. ep. 54.}
 theniensi: Hujus autem Athenas itineris non solum hunc capi-
 am fructum, quod à præsentibus liberer malis, verùm etiam ne am-
 plius studiorum causa eos adorem qui inde veniunt, nihil meliores
 quidem nobis mortalibus, quod quidem ad intelligentiam Aristote-
 lis & Platonis attinet. Versantur autem inter nos quemadmo-
 dum semidei inter mulos, eo quod conspicerint Academiam & Ly-
 ceum, & Variam illam Porticum: qua jam non est varia: nam
 Proconsul tabulas abstulit, deinde prohibuit eos ne propter sapi-
 entiam elatiore sint animo.

CONSTANTINOPOLI porrò primum quidem jussi
 sunt salario publico docere soli Rhetores & Grammatici.
 His Romani Juris professionem adjunxit Theodosius; quod
 pòst confirmatum est à Justiniano. Ejusdem auctoritate
 cœpit istic & Philosophica *ἀνεγέρση*. Quod enim ibidem
 Themistius jam Constantii ætate docuisse videtur, privato
 viri studio est adscribendum. Nullus autem ibi vel doctrinæ ^{Themist.}
^{in Sophist.}

22 DE ANTIQUITAT. ACADEMIC.

Christianæ vel Artis medicæ professioni locus fuit. Haud abs re fuerit, recitare in præsentia ipsam Theodosii & Va-
 tiniiani Cæsarum constitutionem quā formam circum-
 Iust. l. xi.
 tit. 18. de
 Stud. libo-
 ral. Vrb.
 Rom. &
 Constanti-
 poli esse voluerint. Habeat igitur auditorium specialiter no-
 strum in his primum quos Romana eloquentia & doctrina commendat,
 Oratores quidem tres numero, Grammaticos vero decem. In his
 etiam qui facundia Grecitatis (ita enim recte habet codex
 Theodosianus) pollere noscuntur, quinque numero sint Sophistæ
 & Grammatici æque decem. Et quoniam non his artibus tantum
 adolescentiam gloriosam opemus institui, Profundioris quoque
 scientia atque doctrina memoratis magistris sociamus auctores.
 Unum igitur adjungi ceteris volumus qui Philosophia arcana ri-
 metur: duo quoque qui Iuris ac Legum voluntates pandant. Ita
 ut unicuique loca specialiter deputata adsignari faciat sua Subli-
 mitas, ne discipuli sibi invicem possint obstrepere vel magistri;
 nevè linguarum confusio permixta vel vocum aures quorundam
 aur mentes à studio literarum arceat. Hæc Cæsares illi. Quæ
 etiam Iustiniano placuisse indicio est, quod ex Titulo Co-
 dicis Theodosiani De studiis liberalibus Vrbis Romæ & Constan-
 tinopolis unicum hoc rescriptum in Codicem suum trans-
 ferri curaverit, & quidem nulla factâ expunctione aut mu-
 tatione: quod Triboniano alias fuit recepti moris. Et
 vero idem Justinianus confirmavit illud vetus privilegi-
 um, quod scholæ Constantinopolitanæ cum Romana &
 Berytensi erat commune, ne alibi Juris disciplina docere-
 tur. Duos vero tum temporis Constantinopoli Jus do-
 cuisse, Theophilum nempe & Cratinum, abunde omnibus
 notum est. Quemadmodum autem Cæsares hi Juris & Phi-
 losophiæ professioni loca publica tribui curaverunt, ita
 jam

Cod. de
 Vet. jur.
 enuclean.
 l. I.

DISSERTATIO I.

65

jam ante ipse Constantinus Magnus ~~auegatn~~^{et} videtur stru-
xisse Grammaticis & Rhetoribus. Romæ saltē esse id factum,
disertè legitur in Pauli Diaconi Misella Historia: Constanti-
nus Magnus, inquit, *civiles nurrire artes, præcipue studia litera-*
Paul. Dia-
con. l. 10.
c. 15.
vum, quasivit. In illustribus domibus eos qui in Urbe Roma erant
viros rationabiles collocavit. Qui omiserit verò id ipsum
Constantinopoli, quam omni ex parte studuit Romæ ve-
teri æqualem reddere? Certè circa illud tempus & hīc
fuisse structas hujusmodi ædes, liquet ex ejusdem Pauli
verbis sequentibus: *Gallus circa Ephesum apud doctores erat.* Idem l. II.
Porrò Julianus & Crescens in auditoriis Constantinopolitaniæ urbis c. 24.
exercebatur, in basilica ubi doctores erant. Narrabimus paulo
post iterum aliquid de basilica ista.

Progre diendum nunc est ad ALEXANDRINAM
scholam: quam itidem Orientales inter singulare aliquid
præ reliquis illius ævi habuisse diximus. Et vero una illa
pene omnia habuit. De Oratoriis & Grammaticis studiis
non est quod dicamus, utpote quum jam tūm constet, à
Ptolomæorum regum ætate, adeoque ab initio usque ur-
bis istius conditæ, illa floruisse. Non desisse verò eam
gloriam etiam diu pōst, satis ostendit unum illud magnum
Joannis Philoponi nomen, qui etiamnum à professione
sua, quā Alexandriæ sexto seculo Christiano functus est,
Grammaticus vulgo usurpatur. Mathematicas quoque o-
mnis generis disciplinas ibi habuisse suos doctores publi-
cos, notissimum est. Quem enim fugit illud saltim de Pap-
po & Theone viris utique celeberrimis? Hypsicles quoque
ipse testatur, sese Apollonii Pergæi libros Alexandriæ in
terpretatum esse. Fortassis eodem munere & Eutocius Ascal-
lonita functus est, ut qui suum in Sphæram & Cylindrum Ar-
chimedis commentarium Ammonio inscriperit Alexan-
drino

Hypsicl. l. xi
clementior

drino Philosopho. Eutocium autem illum Hypsicli fuisse coævum, adeoque utrumque vixisse sub finem seculi quinti, verosimile fit ex eo, quod & Hypsicles l. 2. n. 5. præceptorem laudet Isidorum, & Eutocius statim in fronte commentariorum suorum memoret magistrum Isidorum Milesium Mechanicum. Forte & Diophantus magnus ille Arithmeticus hîc docuit: nec tamen id definio. Proclum Lycium ab Herone in mathematicis esse Alexandriæ institutum, testatur Marinus Neapolitanus: Hero autem ille videtur is esse cuius exstat alter de geodæsia, alter de machinis bellicis liber: utique Ptolemæo multùm hic junior est. Eacerte suit Alexandrinæ scholæ in Mathematicis estimatio, ut ab Episcopo illius urbis Paschalem canonem quotannis petere ipsimet primi vix Ecclesiæ placuerit. Iam vero & Philosophiæ doctorum quorundam laus ad nos usque propagata est. A principe Anatolio, Laodiceæ post Episcopo, scholam Peripateticam fuisse apertam

Niceph. l. 6
sap. 36. testis est Nicephorus, in eo tamen forte falsus quod huic primo id adscribat. Olympiodorum Aristotelis & Platonis placita ibi interpretantem audivit Proclus Lycius, teste Marino.

Mar. in vi-
ta Procl. Quo tempore hanc scholam philosophicam Athenensi multùm prætulit Synesius. Clarissima est fama Ammonii Hermiæ filii, plane illius quem Zacharias Scholasticus scribit Platonis & Aristotelis dogmata interpretari Alexandriæ, relictis Athenis & Proculo magistro. Quin & Olympiodorus ille, cuius hodieque exstant in Meteorologica Aristotelis & Platonis dialogos aliquot commentarii, Alexandriæ videtur docuisse.

Zach. in
dialogo. Ad hoc & Jus Romanum à nonnullis doceri ibi institutum est, nullo tamē indultu publico, eoque id vetitum à Justiniano Cæsare, De Pantæno agens Eusebius Pamphili, *Docebat* s, inquit,

Cod. de
ver. Iure
enucleand.

Euseb. l. 5.
lib. Eccl.

Alexandria, cum ex antiquo schola illic constituta esset sacra-
rum literarum, quae & ad nostra tempora pervenit. S. Hieron. ^{I.}
nymus scribit, in Alexandria, juxta veterem consuetudinem ^{de scripto}
a Marco Evangelista, semper Ecclesiasticos doctores fuisse. Cle-
mentem Alexandrinum, Pantæni auditorem, post ejus mor- Hier. I. c.
tem Alexandria Ecclesiastica scholam tenuisse & natuꝝ ^{cap. 38.}
magistrum fuisse, ijdem testantur. Origenem Adamantium Hier. I. c.
a Demetrio Alexandrina urbis Episcopo in locum Clementis pres- cap. 34.
byteri confirmatum per multos annos floruisse, scribit idem Hi-
eronymus. Huic forte Dionyius successit, de quo Hie-
ronymus: Dionysius Alexandriae Vrbis Episcopus sub Heraclio ^{Idem. I. c.}
scholam natuꝝ presbyter tenuit, & Origenis valde insignis
auditor fuit. Forte & Pierius sub Caro & Diocletiano eo-
dem perfunditus est munere: hic enim Alexandriae Ec-
clesiae presbyter, teste eodem Hieronymo, florentissime do- Idem I. c.
cuit populos, & tantam sermonis diversorumque tractatuum, qui ^{cap. 36.}
usque hodie extant, invenit elegantiam, ut Origenes junior vo-
garetur. Quicquid ejus sit, certum est Alexandriæ scholam
fuisse Ecclesiastica, & quidem illo ævo nusquam terra-
rum aliam illi consimilem: quod admiratione videtur ma-
xime dignum. Non possum hac occasione non adferre
in medium querelam quam super hac re Cassiodorus, vir
utique & dignitate & pietate magnus, jam olim institu-
it. Cum studia, inquit, secularium literarum magno studio fer- Cass. præf.
vere cognoscerem, ita ut multa pars hominum per ipsa se mundi in libros
prudentiam crederet adipisci, gravissimo sum, fateor, dolore per- divinar. &
motus, quod scripturus divinis magistri publici decessent, cum actiones
mundani auctores celeberrima procul dubio traditione pollerent,
nisi sum cum beatissimo Agapito Romæ Episcopo, ut scitis apud
Alexandriam multo tempore traditur fuisse institutum, nunc
estiam in Nisibi civitate Syrorum Hebreis seculo fertur exponi;

D

collatio

collatis expensis in Urbe Romana professos doctores scholæ potius recipere Christianæ, unde anima susciperet æternam salutem, & casto atque purissimo eloquio fidelium lingua converetur. Addit statim Cassiodorus, desiderium suum non potuisse compleri proprie bella (ut inquit) ferventia & turbulenta nimis in regno Italico certamina, quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis. Et verò hac occasione scripsit ille suos de divinis & humanis lectionibus libros, qui hodieque superant, licet in particulis hic illuc miserè disjectis. Cæterum hoc obiter. Observandum autem est, ne quidem illam Alexandrinam Ecclesiæ scholam publica fuisse auctoritate roboratam, sed privatim institutam forte à S. Marco aut secutis eum Alexandrinis Episcopis. Fortassis quoque non magna fuit in existimatione, utpote quum illuc scrorum studiorum causa Christianos multos ex aliis terris confluxisse, haud temere legas.

Ab Antonini Cæsaris ævo, quem audivimus salario doctoribus constituisse, videtur Alexandria floruisse schola etiam medica *ἰατροφικῶν* nuncupata & quidem publica. Quarto sane seculo fuit illa longe florentissima, ut & seculo quinto. Tum enim ibi docuerunt Zeno Cyprius, Magnus, Gessius, Palladius, Joannes alii. Quod alias latius fortasse narrabimus.

Vide l. de Hermet. medic.c.g.

Obsignabimus vero hunc de Alexandrina schola sermonem encomio Ammiani Marcellini quantumvis prolixiore; ut liquido appareat, saltim qualis fuerit illa schola seculo Christiano quarto. *Alexandria ipsa non sensim ut aliae urbes, sed inter initia prima aucta per spatiose ambitus, internisque seditionibus diu affere fatigata, ad ultimum multis post annis, Aureliano imperium agente, civilibus jurgiis ad certamina internecina prolapsis, dirutisque mænibus, amisit regionum maximam partem, quæ Bruchion appellabatur, diuinum*

præ-

Ammian.
l.32.c.42.

præstantium hominum domicilium. Vnde Aristarchus Grammaticæ rei doctrina excellens, & Herodianus artium minutissimus sciscitor, & Sacas Ammonius Plotini magister, aliique plurimi scriptores multorum in litteris nobilium studiorum. Inter quos Chalcenterus eminuit Didymus, multiplicis scientia cœpto memorabilis: qui in illis sex libris, ubi nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, Syllographos imitatus scriptores maledicos, judicia doctorum aurum incusat, & immania frementem leonem prætredulis vocibus vanus catulus longius circumlatræ. Et quamquam veteres cum his quorum memini floruerent complures, tamen ne nunc quidem in eadem urbe doctrina varia silent: nam & DISCIPLINARVM magistri quodammodo spirant, & nudatur ibi GEOMETRICO radio quicquid reconditum latet, nondumq; apud eos penitus exaruit MUSICA, nec HARMONIA coniuncta, & reciales apud quosdam adhuc literatos consideratio MVNDANI MOTVS & SIDERVM doctorum sunt hanc numero pauci: super his scientiam callent, quæ FATORVM VIAS ostendit. MEDICINÆ autem, cuius in hac vita nostra, nec parca nec sobria, desiderantur adminicula crebra, ita studia augentur indies, ut licet opus ipsum redoleat, pro omni tamen experientio sufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, si Alexandria se dixerit eruditum.

Hactenus Ammianus. Sed & de Alexandrina schola fortasse plus fatis. De alijs Orientalis Imperij Romani scholis ejusmodi dicere nihil attinet. Non possumus tamen omittere præconium quo CÆSAREAM PALÆSTINÆ μητρόπολιν prosequutus est S. Gregorius Nazianzenus oratione qua defunctum Basilium Magnum laudavit. Hinc, dicit, Cæsaream, ut scholarum urbis illius particeps esset, contendit. Hanc ajo illustrem civitatem, & nostram, (nam meorum quoque studiorum dux & magistra exitit,) non minus literarum & doctrinæ quam urbium quibus præcellit arg; dominatur, metropolis.

D 2

Quam

28 DE ANTIQUITAT. ACADEMIC.

Quam si quis doctrinæ palma spoliaverit, rem omnium pulcherri-
mam ipsique maxime propriam eripuerit. Nam cum aliae civi-
tates aliis ornamentiis vel antiquis vel novis gloriatur, prout opt-
nor vel historiis vel rebus quibusdam visendis ornatae sunt, hanc
contra, ut arma atque tragedias nota quædam atque insignia, sic
literarum gloria nobilitas atque illustrem reddit.

Hæc præcipua fuerunt scholæ publicæ: hæc ferè ea-
rum fuit facies, ad seculum partim sextum partim septi-
mum nati Salvatoris. Namque à sexto seculo omnes ejus-
modi scholæ, imò tantum non omnis eruditio, in tota
Occidentali Romani Imperii parte, per Italiam ajo Galli-
am Hispaniam & Africam: à septimo autem per omnem O-
rientalem regionem, Asiam nempe Græciam & Egyptum,
funditus, alibi Germanicarum Scythicarumque gentium,
alibi Sarracenorum, florentissimas Romani Imperii provin-
cias occupantium, barbarie deletæ sunt. Imò quod mi-
reris, ipsemet Justinianus Cæsar scholarum fortunam haud

Zon: tomus
3. in Iustini-
aniano.

parum labefactavit. Diserte enim Ioannes Zonaras de Cæ-
fare illo: Neque verò hoc duntaxat, sed & alia plura templa ex-
iruxit; ad quorum edificationem cum infinitis egeret pecuniis, de
consilio præfecti stipendia liberalium artium magistris olim consti-
tuta in omnibus urbibus sustulit, quas vacantiibus literarum
ludis russicitas invaserit. Idem plane jam memoraverat Proco-
Procop. in
are histor.
pag. 113.

pius Justiniani οὐγχεον: imo ex Procopio hæc descripsit
forte Zonaras. Verane hæc sint an in odium facta, haud
dixerim. Id certum est, præter exiguae reliquias CON-
STANTINOPOLI superstites, in omni isthoc Christiano
orbe scholam illustrem nullam, post Muhamedis tempora
superstitem, memorari. Et tamen etiam illæ tandem ex-
tinctæ sunt per Leonem Isaurum ειπομέαν seculi Christi-
ani octavi initio. Rem omnem prout narrat, is quem mo-
do laudavimus, Joannes Zonaras, forte haud abs re fue-
rit hic

rit hic audire: *Domus erat (inquit ille) in regia ita dicta si-
ue basilica, in qua multi codices humanae ac generosioris & divi-
nae sapientiae asservabantur, ab antiquis temporibus ad inhabitan-
dum ei attributa qui eruditione excelleret, quem Oecumenicum
Doctorem appellabant. Is duodecim contubernales habebat ex-
cellenter eruditos. His publicus vetus præbebatur. Hos eruditio-
nis & cognitionis avidi accedebant. Hos Imperatores ad rerum
gerendarum consilia adhibebant. Eos Leo sic capisset & insuam sen-
tentiam pereraxisset (ὧδε εἰνορωπαξις scil.) omnia sibi confectas
putabat. Mox cum narrasset Historicus, quemadmo-
dum illi sint Cæsari reluctati, addit: Sed cum sape cum iis
egisset frustra, eos domum demisit in illas ædes regias, multamque
materiam aridam circum eos collocatam noctu incendi jussit, at-
que ita ædes cum libris & doctos illos ac venerabiles viros com-
busit. Haec tenus Zonaras. Idem aut simile facinus forte
respexit Paulus Diaconus, ex Theophane indubie ut solet
descriptum. *A Leone, inquit ille, multi pro veritate punieban-* Paul. Dia-
*sur membrorum destrunctionibus, & flagris, & exiliis, & rerum con. l. 21.
jacturis, maximeque illi qui nobilitate ac verbo clari esse vide-
bantur: ita ut eruditionum scholas & piam eruditionem à Con-
stantino Magno hucusque servatam extingueret. Utrum ex vero
nata sit omnis hæc historia, haud temere affirmaverim.
Nec enim Zonaras profecto idoneus est tantæ rei testis,
sive animum scriptoris video sive tempus quo vixit. Ad
hoc oecumenici alicujus doctoris, & tam illustris quidem
collegii, memoria alibi forte nulla reperitur. Forte ta-
men significatur hic regia illa ædes, quam non multò an-
te à Constantino Magno liberalium artium studiis tuisse
exstructam, indicavimus. Et vero in ea Latinæ literatu-
ræ decem fuere Grammatici, Rethores tres ex Constanti-
ni instituto: quorum unus collegii præses dictus dein-**

Zon. tom. 3. in Leo-
ne Iaur.

D 3

ccps

ceps forte est σιγυδρικός διδάσκαλος. Ut proinde illud collegium unà cum regiā æde Leonis Iauri scelere perierit.

CÆTERVM omnia etiam illarum, quas modo commemoravimus, scholarum instituta intuentibus, facile pater, etsi fuerint illæ nostris affiniores quam istæ veterum Græcorum, permultum tamen iis fuisse inferiores, Nusquam enim omnia docerisunt solita, ut apud nos sit in plerisque Academiis paulò melioribus. In primis rara fuit Theologica professio & Medica: quibus tamen melior orbis non potest nec debet carere. Deinde nec jurisdictionis nostræ vestigia illo etiam in ævo comparent: quæ est inter potissima eorum quæ ad dignitatem scholasticam faciunt. Dubito etiam, an omnes discentes per gradus ad honores aliquos eruditionis sint ducti: quomodo nos benemeritos titulis suis donamus. Omnes inquam. Namque in Philosophorum & Rhetorum scholis videtur non nihil simile observatum, ut alias narrabimus. Postremò in nostris Academiis plerumque multis discentibus solet victus ex publico dari: quod similiter in illis Romanil Imperii scholis non observo, nisi quod obiter Lampridius scribat in Alexandri Severi vita: *Doctoribus auditoriis & salario decrevit, & in discipulos pauperum filios modo ingenuos annonas dari jussit.* Sed hæc procul dubio non fuere diuturna, si modo unquam in usum recepta sunt,

SED etiam de illis scholis publicis, quæ sub Cæstribus Romanis floruerunt, satis forte est dictum. Quanquam enim & Judæis illa tempestate non defuerint scholæ, & quidem sic satis celebres in Tiberiade & alibi, tamen & illæ auctoritate publica non steterunt, eoque ad nostrum hoc institutum non pertinent. Tempus est ut SARACENICAS

NICAS Iustremus. Quamvis enim per ejus gentis irruptiones omnem orientalis Imperii eruditionem ante dixerimus eversam, per eandem tamen post iterum haud leviter nitori suo illa restituta est: quanquam ducentis decimam ferè post Muhamedem annis. Scilicet initio quidem suæ potentiaz, quam ductu Muhammedis acquisiverunt, doctrinâ aliquâ neque ipsimet erant instructi Sarraceni, neque in aliis videntur potuisse eam a quo animo ferre. Præ zelo scilicet religionis aut potius superstitionis suæ, ipsi quum essent imperiti omnis culturæ melioris, eandem ceu pietati aut certè superstitioni suæ adversam exscindere potius quam fovere, in parte videntur religionis collocasse. Nec mutata in iis hæc barbaries fuit sere ante seculum ix. h. e. ducentis prope à Muhamede annis. Prope inquam. Nam & seculo octavo jam cœpisse apud eos melioris doctrinæ non nihil, negari meritò haud debet. Secuto autem tempore haud parva in existimatione fuisse omnia illam apud gentem studia reperio. De Arone Rasiida sexto post vicesimum Chalifa, illo quem munera ad Carolum Magnum ex Persia usque misisse, in Franco-
rum annalibus & Eginharto legitur, scribit Sarracenicæ historiæ auctor Georgius Elmacinus Abulcasini filius hæc in verba, prout quidem illa vertit Thomas Erpenius. *Quod ad naturam, summa inter Chalifas fuit humanitatis & liberalitatis, maximè in Poëtas: vehementer enim delectabatur bonis versibus, eorumque auditu & imitatione. Cum peregrinaretur peregrinari cum eo solebant centum docti: cum autem vobis peregrinaretur, trecentos homines ad peregrinationem instruebat, sumptus iis suppeditans & vestes mundas. Neque in aula nullus Chalifa tot convenerunt consiliarii, judices, docti, eruditi & poëtae, atque in aula Rasiidae. De filio hujus Abulabbate Alma-*

I. Leo l. r.
hist. Afric.
pag. 26.

*Annal.
Francor. ad
an. 801. E-
ginhart. in
vitâ Carol.
Elmacin.
I. r. hist.
Sarrac.*

32 DE ANTIQUITAT. ACADEMIC.

Almaimone, qui & AbuGiafar Abdalla fuit dictus, scribit idem: *Inter Abbasidas nemo quisquam eofuit eruditior, nec praestantior. Didicerat egregie Astronomiam & ventorum stationes: unde & inter peritos hujus scientiae etiamnunc notus est venitus Almamonis.* Et vero hic est ille Mammus Zonaræ dictus, qui victor licet, pacis publicæ pretio, à Theophilo Constantinopolitano Imperatore Leonem philosophum, mathematicarum artium peritia insignem hominem, miti fibi petiit, nec impetravit: quâ de re post differendum. Eo etiam curante instituta est in Babylonie campis ab ejus ætatis celeberrimis mathematicis illa telluris dimensio, quam Maimonis vocant Geometrae Arabes. Ex libro Iuchasini Abrahami Zacuti notavit Iosephus Scaliger: *Maimonem scientiarum doctorumque hominum fuisse studiosum: multos etiam libros ejus ætate ex Græco sermone in Arabicum conversos esse.* De Mutetzan Chalipha Maimonis successore tradit idem Zacutus, fuisse illum summum medicorum amatorem. Quo tempore Chorænæ, Ægypto, & Syriæ præfuit Abdalla filius Taheri filii Huseini: ad quem confluxisse viros doctos, quemve poetas muneribus ditasse, refert is quem ante laudavimus El-Hist. Sarr. macinus. Qui non multò post scribit, ætate Giafaris Abulfadli Mutevvakkeli, primi & tricesimi Muslimorum regis, floruisse viros excellenter doctos atque eruditos. Unde manifestum est, nono isthoc seculo haud parum viguisse omnis generis doctrinam in Asiatico illo Sarracenorum imperio.

Non autem illo tantum tempore in pretio habuit ASIA SARRACENICA eruditionem, sed multis etiam sequutis seculis. Ex quibus Latino quoque orbi innotuerunt cum alii tum hi imprimis: Abunasar Alpharabi Babyloni, & Abenfina quem Avicennam vulgo nuncu-

Zonar.
tom. 3. in
Theophil.

Scalig. in
canon.
Hist. l. 2.
pag. 149.

l. 2. c. 10.

huncupatus Bochara oriundus summus medicus, & Abun-
nasar Giaphar Balachensis Astrologus Chorasena ortus,
quem nostri Albumasarum appellant, atq; Albategnius Mu-
hamed patria Araccensis Mesopotamius, Joannes etiam
Mesue Damascenus, & Haly Abas. atq; Isaac medici sanè do-
ctissimi. Ut nunc alios taceam; qui ne nos lateant effe-
runt & Rasis Continens, & Serapionis Mesuæque practici
qui appellantur libri. Nec difficile est ostensu, nullum
ferè non Asiæ angulum in Indos usque Arabicam erudi-
tionem occupasse: donec tertio decimo seculo Turca-
rum Tatarorumq; gentes, exciso Sarracenorum imperio,
tantum non omnia barbarie sua Scythica impleverunt.
Illi igitur quadringtonitis annis multas illustres scholas,
in omnibus celebrioribus Asiæ urbibus, floruisse, non
tantum conjectura licet assequi; sed haud obscuris potest
monumentis comprobari, in illo magno etiam librorum
defectu. Neque enim nobis nisi rari libri sunt ex A-
rabico conversi: contra vero hodieque nobiliores Asiæ
urbes bibliothecis uberrimis instructæ sunt, adeo ut pau-
cis abhinc annis Constantinopoli superfuerint duæ biblio-
thecæ Arabicæ, quarum singulæ æstimatæ centum duca. T. Erpen.
orat. 2. de
ling. Arab.

Verum quandoquidem de Asiaticis scholis, quem illæ
in modum fuerint constitutæ, non possunt multa dici, sa-
tius fortasse fuerit in AFRICAM nosconvertere: quam &
ipsam unâ cum Hispaniæ maxima parte longo tempore
Sarraceni tenuerunt. Annus Hegiræ erat quasi ccLV qui
Christianus est DCCCLXXVII, quum facto schismate novus
Chalifatus in Ægypto enatus est. Ex eo tempore, incumber-
tibus eam in rem Chalifis illis ut & post Saladini familia,

E

imo

imo ipsis etiam Mamaluccis, qui rerum ibi sunt potiti, floruerunt & viri eruditi multi in Ægypto, & scholæ quoque publicæ omnium artium. Etsi enim varias vicissitudines experta sit regio isthæc, tamen nec ipsi Mamalucci intermiserunt scholas magnificè in nobilioribus urbibus

Ioannes Leo l. 8. hist. Afric. exstruere. Tradit Joannes Leo Afer, Alexandriæ multa studiosorum collegia esse. Jam ante quadringentos annos circiter Benjamin Tudelensis Judæus naraverat, vi-

Benjam. in Itinerario. sum sibi Alexandriæ, *exera urbem adficium magnum & spaciosum, quod fuisse dicebatur Aristotelis gymnasum, Alexandri præceptoris; in quo viginti fere scholæ fuerint, à totius orbis hominibus frequentatae.* Quod indubie fuit unum horum paulò ante memoratorum: Aristotelis enim fuisse, ridiculum est vel inepti erronis vel vulgi commentum. Te-

Idem lib. cit. p. 167. statur præterea Leo, etiam Alcairi multa admirandi operis

collegia sive *ægatæja* passim reperiri: interque ea unum à Sultano Gaurio exstructum illo, quo cum, à Selymo Turcâ devicto, concidit in Ægypto Mamaluccorum imperium; in suburbio Betzuaila item esse celebre collegium Hesen

Ibidem pag. 168. Sultani, concamerationum altitudine, mœniumque vastitate adeo memorandum, ut rebellionem Sultano inten-

tantes se in eo contra urbem communire ausi sint, Sulta-

Ibidem pag. 169. nique arcem tormentis impetrere: in suburbio Beb Elloch videri collegium memorandi operis Mamaluci

Jazbach, cuiusdam Sultani consiliarii, à quo locus

Jazbachium ædificium appelletur: Bulacum postremò

suburbium pulcherrimis studiosorum collegiis refertum

esse. Ex quibus sanè manifestum est, non minus egregiè

erga literas affectos fuisse ipsosmet Mamalucchos, servili

quamvis genere natos, quam olim nobilissimos illos Pto-

lomæos; imo maiorem forte his laudem deberi, ob ex-

structa

structa tot regia ædificia; quum contra ab illis non nisi unum legamus μεταξοι literariæ rei esse consecratum. Cæterum quæ facies harum scholarum fuerit, non possum dicere. Et nunc illas tantum non penitus frigere constat, ex quo in Turcarum ditionem Mamluchorum imperium devenit. Quare in AFRICAM PENITOREM pergamus.

I. Leo I. t.
p. 272. b.

Et sane observare est, vix alibi Sarracenicae sectæ hominibus scholas aut plures fuisse aut celebriores. Etsi enim ad annum usque millesimum nostræ æræ, omnia videantur à seculo usque quinto post Vandalicos furores penè inter mortua ibi fuisse, sequuta tamen tempestate mirum in modum cuncta cœperunt resuscitare. Loco quippe scriptorum Latinorum (quæ nescio cuius Caliphæ rabies seculo circiter nono, quo Muhammedismus barbarie I. Leo I. t. inducere securius regnaret, incendio jusserrat consumere, pag. 36. ut pauca eorum Arabice verba sint, secus quam non nulli persuadere conantur) omnis generis Arabici libri copiosè aut aliunde adducti illuc sunt, aut verò primum tunc conscripti. Hactenus nimirum ex quo Muhammedanum virus ibi disseminatum, Mauritaniam utramque, Tingitanam ac Cæsariensem, Africam item propriè dictam, quæ hodie Barbaria dicitur, Cyrenen denique & Marmaricam, sparsi Arabes. *Arabi Mustehgeme*, quod est Arabes barbari, hinc suis nuncupati, partim Chaliphæ rum vel Bagdadensis vel Ægyptiorum duces, partim alii duo schismatici Chaliphæ, Caruanensis scilicet in oriente & Fessanus in occidente, tenuerunt. Quibus omnibus equidem non invenio magnam aliquam melioris doctrinæ fuisse curam. Sed horum imperiū exceptit imò delevit gens Luntuniorum, Abul Taxifio circa annum Christi c. 1011 auctore orsa. In tantam enim potentiam brevi familia illa

E 2

crevit,

crevit, ut imperio suo utramque Mauritaniam, Barbariam
item adeoq; & Tunetanum regnum, Beticam deniq; inte-
gram aliasque Hispaniæ regiones complexa sit. Auxerunt
idem imperium & latè firmaverunt Almuachedini seu
Almohadi Pontifices, qui devictis Luntuniis rerum po-
titi fuit anno circiter Christiano cīc xl, aula sua Ma-
rocchi constituta. Quod licet, concidente & hac fami-
lia, seculo sequente tria nova regna pepererit, Fessanum,
Telensum & Tunetanum, ad nostra fere usque tem-
pora tamen perductum est. Ab illa autem usque Lun-
tuniorum ætate, incredibile dictu quantum scholarum in
Africa ac Hispania sit enatum. Non enim temerè cele-
brior aliqua aut Africæ aut Hispaniæ urbs sub illis Mau-
ris fuit, quin eadem nobilissimis fuerit scholis exor-
nata. Incumbente hoc in primis Jacobo Mansore ter-
tio Almuachidinorum sectæ Rege ac Pontifice, cui ad for-
tunæ amplitudinem scientiarum etiam cognitio acces-
serat. Is autem est ille cuius auspiciis docuit in Marocchana
Academia Averroës, magnus ille Aristotelis commenta-
tor. Cuius scholæ florentissimæ hisce verbis meminit

*Ioan. Leo Leo: Habet & hac arx regia nobilissimum quoddam collegium,
L. 2. p. 60. cui triginta insunt aule. Hujus medio visenda amplitudinis
quedam est, in quâ publice maximoq; apparatu prælegere sole-
bant, dum adhuc apud illos literaria floraret respublica. Qui
in hoc collegio recipiebantur, his victus dabatur atq; vestitus.
Professorum alius centum, alius ducentos quotannis pro lectionis
qualitate aureos accipiebat: neque quenquam prælectioni admis-
tebant, qui non exactissime colleret, quæ ad eam artem quam
profitebatur pertinere putabant. Locus ornatusimus, parietes
habet opere vermiculato elegantissimos, eaque præseruum aula,
in qua publice semper prælegere solent. Omnes porticos omnesq;
adeo*

ad eo convexitates ex lapide depicto vitreog. compositi sunt; apud illos EZZalleja dici soles, cuiusmodi adhuc apud Hispanos in usu est. Hujus structura medio egregius limpidusque admodum est fons, cuius murus ex marmore candido atque elaborato. Audivi frequetem quondam hic fuisse discipulorum numerum, verum meo tempore non plures quinque inveni. Praelectorem nunc habent stupidissimum atque ab omni humavitate alienissimum. Hæc Leo de sua ætate. Vixit autem ante hos centum amplius annos, captus à piratis ac Leoni decimo Pontifici in mancipium donatus, à quo manumissus utrumque patroni nomen Joannis Leonis consequutus est.

Non adducam nunc quæ idem tradit de ædibüs scholasticis aliarum per Africam urbium, ne vos (Auditores) nimis onerem hisce audiendis. Per enim ille multa adserit certe plura quam quis facile credat. Exornarunt enim Africam splendidissimis Musarum ædificiis, non tantum Almohadi quos ante laudavi, sed & Marini Fessæ reges qui Marocchanum Almohadorum imperium deleverunt seculo tertio decimo: imò non illi tantum sed & ipsi Tunetani ac Telenfini reges. Non possum vero à me, ut ut festinem, impetrare, quin ex Leone recitem saltim illa quæ de FESSANÆ scholæ ædificiis & statu prolixe satis commemorat. Sunt, inquit, in hac urbe duo celeberrima collegia, ^{I. Leo l. 2. pag. 110} multis ædificiis multoq. opere musivo elegantiſſima; horum omnes arabes incise, parietes tum marmorei, tum cretacei. Sunt quæ centum habent museulos, sunt quæ plures, sunt quæ pauciores. Omnia autem à diversis regibus, qui ex Marinis oriundi erant, condita sunt. Atq; horum quoddam est amplitudine & elegancia admirandum visuq; dignissimam, quod à quodam rege conditum est, quem illi Habu Henon vocabant. Hic egregium quendam fontem reperias marmoreum, cuius vas aquas cupas continet. Praeter

fluit quoq; in hoc collegio rivulus intra canalem nisidum arg; elegansissimum, cuius margines marmore & majorica sunt elegansissimè constructæ. Tria item hic visuntur deambulacra rectæ, miro artificio arg; labore ornatissima, quæ columnis quibusdam innuntur octogonalibus variis coloribus distinctis. Ab una autem columna ad aliam arcus videoas labore missivo, auro arg; ceruleo colore conspicuos, rectum aueem ligneum est miro artificio incisum. Porticus cancellis elegantissimis sunt secreti, adeo ut qui foris sunt illos videre nequeant qui intus deambulan. Murus undiq; quantum manu contingere licet, opere cretaceo, quod majorica vocant, depictus est. Reperias multis in locis carmina quedam, quæ annum indicant quo exstructum fuit collegium, item & permulta in conditoris laudem conscripta epigrammata. Sunt & characteres magni admodum nigro colore obducti qui à longè optimè legantur. Portæ collegij istius area multo artificio ornatissimæ, cubiclorum verò januae ligneæ miro item artificio incisa. Aula quæ orationibus est dicata, suggestum habet, ad quem novem gradibus ebore & hebeno constructus ascenditur. Absoluto collegio dicunt nonnulli, Regem quantum pecuniarum in eo exstruendo consumpsisse scire voluisse, mox q; folio uno aut altero perlustrato, quadraginta milium aureorum summam repperisse: quare omnino lacerum librum in cum fluviolum conjectit, hoc addens ex cuiusdam Arabis scriptis dictum: Quicquid charum quamvis carum si pulchrum carum non est: neq; nimio constituisse dicendum quod animo arrideat. Fuit tamen Regi quidam à tesauris qui sumptum accuratisimè annotavit, atque in egregium hoc opus quadringentia & octuaginta aureorum milia insumpta colligit. Reliqua Fessa collegia cum hoc aliquam habent similitudinem, habentq; quodlibet suos professores, quorum quidam ante meridiem, alijs horis pomeridianis prælegunt, his autem optime à conditoribus provisum est.

Olim

Olim qui hic literis incumbebant, ioto septennio vestitus arg^r vinctus dabatur, at nunc illis nihil pr^reter cubiculum obtingit gratis. Bellum enim Sahidicum multas elevit possessiones, quarum emolumentis alebantur studia: nunc autem ducenti huic collegio, illi vero centum vix aurei in annum redeunt, qui professoribus enumerantur. Hac fortasse inter alias permulcas una ratio est, cur tam minutum sit non Fessanum imperium modò, verum & totius Africæ civitatum. Iam nullos habent hæc collegia pr^reter exterios quosdam scholasticos, qui civium vicitant eleemosynis: & si quis è civibus inhabitet, numerum duorum vel trivum non transcedunt. Professore lectioni parato, ex auditoribus quisquam textum pralegit, cui postea prælector commentum addit atque locorum obscuriorum interpretationem aliquam. Solent & interdum præsente prælectore discipuli inter se de lectionibus certare. Hæc omnia Leo, qui alibi passim in scholâ illa Feislana etiam sese edocut profitetur. Neque vero vel tum desisse ibi omnigena studia audivimus: ut nec alibi illa tum interiisse, idem testatur.

Quantum appareat tamen, fuerunt illa occupata cum primis in suæ religionis & suarum legum disciplina. Eoque idem disertè scribit: *Qui in Barbaria (hæc autem est quatuor Africæ partium nobilissima) ac in maris mediterranei tractu habitant Arabes, maxime trahuntur ad scientie studium arg^r cupiditatem: habentq^r apud illos locum principem ea quæ ad illorum fidem arg^r religionem spectant. Fuerunt olim & Mathematicarum disciplinarum Philosophia arg^r Astrologia studiofissimi; sed ab hinc annis fere quadringentis ea studia ab illorum principibus arg^r fidei professoribus è medio fuerunt sublata. De Numidis idem ait, eruditione quidem ab his vinci Arabes gowisac, physice rāmen & philosophiē nullam aut parvam habere noritam. Eosdem omnes rerum omnium naturalium domesticarum & po-*

I. Leo l. 1.
pag. 33.
Idem. p. 36
lizicarum

liticarum imperitissimos pronunciat: ut Lybiæ incolas literarum bonarumq; artium negligentissimos. Neque vero ab eo tempore melior videtur redditæ scholarum illius Africæ facies: ut etiamnum ibi bibliothecæ librorum veterum amplissimæ reperiantur.

*Ergo
prat. 2. de-
ling. Ar.
P. 64. & 65.*

Quicquid autem sit, vel ex his tamen compertum est, primò ingentes sumptus publicos factos ab Africæ regibus in scholastica ædificia, adeoque hac parte longe illos superasse non tantum veteres Græcos sed & ipsos Cæsares Romanos: deinde professoribus salarya atque viatum ac amictum ex publico satis liberaliter esse concessa. Ergo & nostris scholis fuisse illas Africæ similiores nullum dubium. Imò verosimile est, nostras ex illarum institutis atque moribus permultum accepisse. Verum quæ ratio docendi, quæ coercendi petulantem juventutem fuerit ibi observata, non legimus. Illud tamen vel ex uno Leone est notum, olim quidem Marocchi ac Fessæ imò alibi per Africam passim, & Artem medicam, & Muhammedanæ religionis dogmata, & universam Philosophiam, & Poëticen, publice magno conatu doceri solita. Quin liquet, Juris disciplinam summo fuisse studio cultam, non Romani quidem (nec enim illud Afris cognitum) sed naturalis & civilis illius Africani, ex naturalibus nempe & positivis gentium ac Muhammedis aliisque conflati. Etsi igitur omni ex parte nostris scholis illæ haud fortasse similares fuerint, nullus tamen est dubium omnium fuisse simillimas.

CÆTERVM de Sarracenicis etiam scholis satis fortasse pro ratione instituti est dictum. Tempus monet, ut tandem aliquando & de iis, quas ab illo quem supra memoravimus interity recepit CHRISTIANVS ORBIS sermones

saltem

saltim paucis faciamus. Vereor tamen ne tam diu hæserim in superioribus, ut si pari prolixitate fitis detinendi in iis quæ supersunt, tedium vos capiat mei audiendi, & ego in vos, Auditores, sim injurius. Neque enim possum dissimulare, justo diutius in illis ab ævo & loco nostro remotoribus me versatum. Existimavi tamen operæ me aliquod pretium facturum, si istæc accuratiùs nonnihil recensem: partim quod per pauca de iis memorari vulgo soleant veri statis prætextu: partim autem quoniam ea quæ solent vulgo memorari parum cum vero convenire semper mihi sint visa. Sed quoniam mea prolixitate tempus illud quod distinctius narrandis nostrarum scholæ rebus esset impendendum, mihi præripuerim, agite, Auditores, saltim liceat mihi illas nunc quidem quasi per saturam vobis exhibere, in commodius ac vacuum tempus uberiore narratione rejectâ.

IGITVR seculum agebatur post natum Salvatorem mundi nonum, quando postliminiò literarum studia simulque cum illis scholæ publicæ in Europam adeoque in Christianum orbem reverti cœpere. Plane scilicet eo tempore, quo antè diximus inter Sarracenos fuisse excitatam sapientiæ facem, simul & Constantinopoli & in Gallia, curantibus illic quidem Barda Cæsare & Photio Patriarcha, dum rerum potiretur Michaël Theophili filius princeps ignavus, hîc ipso Carolo Magno Imperatore satagente, in lucem iterum haec tenus aliquot seculis contemplata atque adjecta eruditio nonnihil producta est. Quo apparet Deum Opt. Max. tandem tum misertum fuisse humani generis, ac barbariem in qua omnis plane orbis cubabat, ubivis penè terrarum uno quasi momento voluisse hominum animis detergere,

F

Quem-

Zonar. tomo 3. in Michaële, plenig hæc narrat Cet. Quemadmodum res illa gesta sit CONSTANTINO-POLI, narrabimus verbis Joannis Zonaræ, prout tamē illum Latine loquentem fecit Hieronymus Wolfius. nihil Bardas fecit boni, nisi quod eruditiois provehendæ magnum studium habuit. Nam Philosophia neglecta jacebat, ac prope omnino extinta erat, ut ne scintilla quidem ejus supereasset. In causa fuerat Imperatorum insectia. Sed hic cuique discipline scholas constituit, & doctores designavit, ac singulis publica stipendia decrevit, & omnibus magnum & communem doctorem prefecit Leonem Philosophum, cuius doctrina incolita fama erat: etiam ab Imperatore Theophilo honoratum, hac occasione. Cum multos haberet discipulos, accidit ut eorum quidam accusari in Geometria eruditus dum in Oriente peregrinatur à Saracenis captus, cuidam inter Barbaros illustri in servitutem traduceretur. Agarenorum porro Princeps theoremata & philosophica studiose audiebat, tamen & geometricis methodis erat deditus. Cum autem captivi herus auditorum frequentaret, aliquando & ipse eum comitatus, auditis doctoribus qui figuræ geometricæ delineabant, & triangulum omnis figura principium esse docebant, omnesq; figuræ ex eo & oriri & in eundem resolvi, & circulum omnium figurarum quæ ambitu æquale contingantur esse capacissimum, & ejus generis alta: rogavit dominum, an liceret magistros de iis que docerent percontari? Quod cum ille permisisset, petiit rationes eorum que docuissent sibi declarari. Verum illis quod responderent non habentibus: Agarenorum Princeps captivo accessit. Num ipse id posset, interrogavit? Eum se scire affirmantem, afferre in medium jussit. Captivus igitur ab initio declarat singula, rationibus adductis & causis expositis. Audtores verbis ejus intellectis, theorematæ acutius perspexerunt, quasi dilataratis ingenii, virumque admirati rogauunt, an Constantinopolis alios similes haberet? At ille: Multos, inquit, me præstantiores habet, sed unum magistrum.

magistrum omnium, virum in philosophicis rationibus incomparabilem. His auditis Agarenorum Princeps amore illius magistri captus, cum & videre & audire desideravit, ac literas, quibus horzabatur ut ad se veniret suamq; sapientiam sibi communicaret, captivo, liberaliter & benignè tractato, ad illum perferendas tradit. At Leo veritus ne in crimen veniret, ob missas ab hoste literas, epistolam Dromi Logothetæ tradit, captivo etiam adducto, qui argumentum ejus exponeret. Ex hoc Theophilo innotuit, & beneficiis affectus publicè docere jussus est. Post etiam Thessalonicæ Ponissex designatus. Verum Theophilo mortuo, inter ceteros Iconomachos pontifices, & ipse ob honorem sacris imaginibus non delatum, est ea dignitate privatus. Hunc igitur Bardas cum ocium agentem invenisset, ceteris magistris præposuit: itaq; effecit, ut literæ restorescerent, exiguq; tempore incrementa caperent. Idem etiam leges civiles, quarum cognitio jam penè omnino obsoleverat, revocavit, cum ipse iudicia frequentaret. Haec tenus Zonaras. Adeò feliciter autem cessit hæc Scholæ restitutio, ut non nisi cum Imperio ipso defecerit. Eoque nunquam ex eo defuerunt Constantinopoli viri literarum omnis generis cultu præstantes. Imò ex Latino orbe illuc studiorum gratia nonnulli commigraverunt: ceu de semetipso testatur Petrus Aponensis Philosophiæ & Medicinæ peritia nemini suo ævo secundus. De illa recenter à Turcis occupata in hæc verba scripsit Æneas Sylvius:

Sylvius
cp. 162.

reddenda sperabamus. Hæc Silvius: cui fidem derogare
haud licet, et si id de Latinorum frequentibus illuc pere-
grinationibus minus sit verofimile. Constat sane istam
scholam præclara illa doctri næ lumina, Argyropylos in-
quam, Chrysoloras, Bessariones, Gazas, Trapezuntios, Ple-
thones, alios, quibus Græcam disciplinam Latinus orbis
debet, circa ipsum excidium suum protulisse.

Sed non licet huic narrationi immorari. Addendum
pancis aliquid est de OCCIDENTALIVM SCHOLA-
RVM nova origine. Atque hujus quidem primum ini-
tium factum est Lutetiæ PARISIORVM auspiciis Caroli,
cui si ullalii virtus pietas ac res gestæ Magni cognomen-
tum merito indiderunt. Ille enim cum aliunde tum ex
Angliæ monasteriis accitis quos illa ætas habebat doctiori-
bus, ex consilio magistri sui Albini Alcuini, publicum li-
terarum forum suis impensis instituit. Steterunt ta-
men initia illa intra rudem aliquam liberalium quas vo-
cant artium professionem: quod & captus ejus tempo-
ris non esset major, & sacra studia quantum videtur ma-
luerit Imperator Episcopis demandare. Quomodo &
ludos pueriles habere omnibus idem Episcopalibus col-
legiis injunxit. Certè Theologica professio, et si illâ ni-
hil aliquot seculis fuerit floridus, sub Capitanis demum
File. I. de
statut. Fa.
cult. theol.
Paris. ori-
gine, regibus accessit, ut nec ipse Joannes Filescus Doctor
Sorbonicus disfitetur. Scilicet tum demum, alia potius
curantibus Episcopis quam quæ erant sui muneris, vi-
sum ex re Ecclesiæ fuit Theologicam professionem lite-
rariæ adjungere. Manet hodieque memoria ejus rei.
Nam & hodie suprema scholæ istius Parisiensis præfectu-
ra (nos Rectoratum appellamus) solis iis qui Facultatis
sunt Philosophicæ (liceat nunc receptis uti vocabulis)
conce-

conceditur. Sola etiam illa Facultas suum habet Cancellarium & quidem ex Camera (uti loquuntur) Apostolica S. Genovefæ : quum contra tribus aliis facultatibus unus sit Cancellarius Episcopus Parisiensis. Sed illa post acciderunt.

Sicut autem initio seculi istius noni cœpit Parisiensis schola ; ita sub ejus finem ab Alfredo Anglorum Rege in Britannia etiam excitatus est doctrinæ publicis mercatus OXONIÆ per S. Neotum monachum. Memorat Arnoldus <sup>Vide Ar-
noldum</sup> Wion, factum id anno DCCC XC: atque initio statim tria fuisse ^{Wion. Li-} exstructa collegia, Grammaticis unum , Philosophis al. ga. vitæ ^{l. s. cap. 94:} terum, & tertium Theologis. Id verum sit nec ne, haut facile dixerim. Certè non potuit illud gaudium esse diuturnum ob subsequutas statim ingentes illius regni calamitates, ab Danorum & Normannorum incursionibus & in primis Haraldi regis immanitate. Vtraque hac antiquiorem se jactat CARITABRIGIENSIS schola in eadem Britannia; sed itidem incerta fide. Quin imo constat, ^{Id est Wion} Henrico I demum Rege quatuor monachos conducto pu- ^{1. cit.} blico horreo, in Aurelianensis Academiæ emulationem, Grammatica, Dialectica, Rhetorica professos, uno illorum verba ad populum de religione in templo dominicis diebus faciente: neque ante Eduardum I, istam scholam faciem Vuiveritatis (ut loqui mos est) accepisse.

Quicquid horum sit, certè cis Oceanum Occidentalis orbis nullam penè habuit scholam publicam usque ad seculum XI præter unam Parisiensem. Illa vero tum temporis iam florebat non solis amplius Facultatis Philosophicæ verum etiam Theologicæ clarissimis professoribus. Vixerunt enim ea ætate , atque in Parisensi schola docuerunt, Anselmus Laudunensis, Guiliel-

mus Campellensis, Petrus Abælardus, Gilbertus Porretanus, & Petrus Lombardus nobilis ille sententiarum magister. Confluxerunt etiam illuc ex omni terra juvenes innumeri studiorum gratia. Eodem autem seculo & Jus Romanum BONONIÆ in Italia doceri publice cœpit, sumptibus & curâ reipublicæ illius, per Irnerium. Quin eodem tempore SALERNI in Picentibus schola Medica publica per Rogerium regem instituta est: jam licet ab antiquo florentibus rebus medicis in vicino monasterio Cassinensi. Exeunte illo seculo anno 1196 à Philippo Augusto Galliæ Rege idem Jus Romanum doceri publice est institutum MONPESSULI. At seculo decimo tertio condito novo Jure Pontificio, statim sub initio disciplina Juris illius in Bononiensem Parisiensem ac Monpessulanam, imo & Oxoniensem Angliæ, quæ solæ tum erant scholæ publicæ, auctoritate Pontificum Regumque introducta est. Videntur plane eodem tempore easdem scholas intrasse & Medicæ artis professio publica. Ut jam scholæ illæ non uno literarum genere sed omnigena doctrina personarint. Nec tamen vel Bononiæ tum Theologiam quis docuit, vel Parisis prudentiam Romani Juris. Namque illud quidem Innocentio VI Pontifice primum cœpit anno seculi quarti decimi 62: Hoc vero vix ante centum annos, quoniam id olim prohibuisset Innocentius IV, Quo factum, ut ista quidem tempestate utriusque Juris professio Bononiæ, Theologiae Philosophiae & Medicinæ Parisis, maximè floruerint. Accessit eodem tempore in parem gloriam Bononiensis scholæ æmula PATAVINA, à Frederico II Cæsare instituta. Quinimo & PERVSII circa annum 1290 Jus utrumque ceptum est doceri.

Seculo decimo quarto in majorem numerum excreve.

creverunt scholæ illæ publicæ, quæque jam omnia nostrum in morem docerent. Nam & in Galliis institutæ Aurelianensis, Andegavensis, Lugdunensis, & Tolosana: & in Italia Ferariensis ac Genuensis. Quin illo seculo & in Poloniā à Casimiro Rege inducta est schola publica Cracoviensis.

Imo & Germania nostra cœpit non amplius extra hanc laudem esse. Namque primò per Carolum IV Cæsarem PRAGÆ Bohemorum, mox & per Rupertum Palatinum HEIDELBERGÆ illustres scholæ conditæ sunt. Jacta tum & fundamenta VIENNENSIS Academiæ per fratres Archiduces: amplissimis verò etiam privilegiis exornatæ sunt ERPHORDIENSIS ac COLONIENSIS. Semel autem illecti laudis hac adorea Principes Germanici, sequente seculo decimo quinto longe plurimas alias his addiderunt. Ita Herbipolensis à Joanne Episcopo anno ejus seculi tertio, Lipsiensis à Friderico primo Electore anno ix, Rostochiensis à Ducibus Mechleburgensibus & Senatu oppidano anno decimo quinto, Basiliensis item à Senatu oppidano & Episcopo anno quinquagesimo nono, Grifiswaldensis à Vratislao Duce Pomeraniæ anno quinquagesimo sexto, Friburgensis ab Alberto Austriaco anno 60, Ingolstadiensis à Ludovico Bavariae Duce anno septuagesimo secundo, Tybingensis ab Eberardo Wittenbergico anno septuagesimo septimo, Moguntina denique à Dithero Archiepiscopo anno octuagesimo secundo, institutæ sunt.

Quanquam vero jam tum numero scholarum omnes reliquias partes Europæ vinceret Germania, nec sic tamen desiderium earum expletum est. Quapropter seculo sequente prioribus accesserunt Wittebergensis anno tertio, Francofordiensis anno sexto, Marpurgensis an-

sis anno vigesimo sexto, Regiomontana in Prussis anno quadragesimo quarto: Jenensis anno quadragesimo octavo: Argentinensis anno sexagesimo septimo: Altorfina anno septuagesimo quinto: Lugdunensis in Batavis ~~cōdem~~^{anno}: & denique anno septuagesimo sexto nostra hæc Julia, sororibus suis ut ætate inferior ita literarum gloriæ si non major certè suppar. Nostra memoria natæ est & Rintheliensis: & in Belgis una atque altera. Sic longi temporis barbariem compensavit intra ducentos annos Germania.

Seriūs scholarum institutio cœpit etiam in Hispania: pleræque enim ejus regni scholæ erectæ demum superiore seculo: & quæ olim quidem instituta fuerat Salmanticensis, illa primam lucem fere à Francisco Victoria ^{Vide latè accepit, ut ipsimet Hispani non diffidentur. Dania quoque} _{diferente Dominic.} anno 1539 demum scholam publicam suam Christeno Bannez in Rege florentem vidit. Upsiloniensis Suecorum schola orig. 2. Thos. gine quidem nonnihil antiquior est, ut quæ coepit Sixtus q. 1^o art. 7^o to IV Pontifice anno 1476: inter rudimenta tamen hæsit & illa pene ad hæc usque tempora, quando eam regio beneficio Gustavus Adolphus regum maximus locupletavit. Non multum melior fuit Scotiæ fortuna, etsi illa non unam Academiam instituerit. Polonia vero nec ipsa faventiores fortunam experta est Cracoviæ. Verum non licet hisce narrandis immorati,

Hæc itaque (ut tandem desinam) est origo scholarum nostrarum, Auditores. Ita paulatim in hunc statum devenimus est. Non morabor autem vos amplius, postquam breviter isthæc recensuimus. Voto tamen finienda oratio fuserit, *Deus bonorum omnium factor & dator, qui cum unigenito*

genito Filio & S. Spiritu iuris, sapientia vero bonitate voluntate atque omnipotentia unus es & indivisus, qui omnem doctrinam omnemq; scientiam, abs quâsi esset nec homines essemus, humanis mentibus inseveristi: qui docentium discentiumque ordinis, quibus vita ipsa nistitur, & instruisti & spiritu tuo semper gubernas. Te ego, Deus, publica voce oro hodie & obtestor, ut quamdiu homines vis hoc in mundo vivere tandem inter eosdem sapientiae & doctrinae studia tuearis ac conserves. Redde, Pater, Germania nostra que, merentibus ita peccatis nostris, diu illi bona denegasti, ac recluso tandem aliquando in vaginam infesto ire gladio, pacis illam stricturam qua nunc letamur in maiorem lucem extende, simulque tanto muneri adde diuturnitatem. Effice, ut sotiris religionum dissidiis, extinguis sectarum monstris, abolitis civilibus odiis, remoto tyrannidis metu, & frenata improborum licentia, pax in domo tua, in animis quies & fuso carens fides, securitas in republica, in omnibus mutuus amor reparetur. Serva Cesaream majestatem, Imperii illud caput, cuius auspiciis nostra hac Julia est instituta. Serva Serenissimam familiam Brunsvicensium ac Lyneburgensem Ducum, eamque ab hostibus inter eos hostes defende, ut sub eorum tutela prisca fides, antiqui mores, & ius ac fas instaurari rursus queant ac vigere. Ad extremum (O Deus) nostram quoque banc Julianam, cui post eos damnata & naufragia tabulas nonnihil colligere nunc concedis, resifice clementiore oculo. Liceat nobis qui in hoc scholastico ordine excubamus pro salute publica, aut tam sancto muneri se suag; imposterum dedicabunt, sub aliis tuis tranquille degere, preclaras pacis artes excolere, juventutem ad rempublicam atq; Ecclesiam educare, literas q; omnis boni fundamentum, promovere. Implore etiam spiritu tuo discentium animos, ut relicti mundi hujus vanitatis, damnata juventutis petulantia, ibi soli vivant, & ad

G

tus

zui nominis gloriam, res publicæque emolumentum omne suum studium, omnem sumptum, omnes denig^z conatus unice dirigant.
Hoc te queso, Pater, obsecro^z.

DISSERTATIO SECUNDA

RECITATA XXIV. OCTOBR. CID ID C XXXVII.

quam Procancellarii Academici munere fungerer.

Non possum non laudare consilium Medicæ laureæ Candidatorum quos mihi hic sistis, spectabilis D. Decane, quod etsi jamdudum notissima omnibus sit illorum in nostra arte peritia, tamen non quorundam sciolorum aut potius tenebriorum more, sua privata sed publicâ Academiæ auctoritate artem malint facere. Enimvero cum multa alia sunt hisce proximis aliquot seculis in commune reipubl. commodum concessa scholis illis Regiis, quas Academias aut Universitates usurpare consuetudo est: tum illud profecto longe & utilissime & præclarissime est constitutum, ut nemini liceat vel docere quidquam vel facere quod maiorem sapientiam requirit, quin de illius eruditione in scholis ab hominibus doctissimis publice latum sit testimonium. Neque enim forte quidquam est cuius observatio æque beare rem publ. possit: aut quo neglectio æque salus publica periclitetur. Etenim illam demum beatam esse civitatem nemo est qui ignoret, cuius clavum moderantur soli sapientes, nec attingere datur rerum imperitis. Hos vero quis dignoscet, quis à vulgo separaret rectius quam illi qui in sapientiæ ac doctrinæ professione

ſeffione reliquis antecellunt, oꝝ nemq; operam ac ætatem ſuam huic ipſi negotio impendunt? Sunt autem prorsus ejus ordinis Professores Academicci. Quæ autem ratio ſcientiarum eſt omnium, eadem ſeorsim, & quidem jure meritissimo, artis eſt medicæ. Quanto enim nobilius eſt objectum illud circa quod ipſa versatur, quantoque errores ejus ſunt faciliores pariter ac cum majori periculo conjuncti, tanto magis opus eſt uti caveatur ne ad artem faciendam admittantur, niſi qui id quod artis eſt præſtare norunt. Agitat ſcilicet vitam ipsam humanam medicus: conservans illam ſi ſapit ac bonus eſt, tollens ſi fuerit imperitus. Quo ſcelere vix aliud gravius eſt.

Tantum vero cum interſit humani generis ſolos artis peritos artem facere, merito ſane quis miretur, qui paucæ adeo respublicae, in tam multis toto paſſim terrarum orbe, ſeriam atque eam quam oportet adhibere, ejus rei curam habuerint. Enimvero apud Aegyptios conſtat

Vide nota-
ta l. de Her-
met. med.

cap. 9.

Aristotel.
l. 3. Polit.

cap. 11.

Diod. l. 1.

cap. 28.

Hippoc. in
vōμρ.

artem medicam inter ſacras diſciplinas habitam, adeo que nonniſi ſelectis ingeniiſ concreditam eſſe. Tradit etiam Aristoteles, & repetit post illum Diodorus Siculus, in Aegypto uſque adeo legibus aſtrictam fuſſe mendendi artem, uti ante quartum diem exhibito pharmacopurgare ægrotum non licuerit medico, niſi capitis periculo. Contra tamen planè apud Græcos obtinuit. Con-

queritur de ætate ſua princeps artis noſtræ Hippocrates, ὃν integrì Φίλιη μὲν πολὺ ἔργω δὲ πάγκυ βασὶ, nomine multos eſſe medicos reiſa perpāncos: itaque artem medicam, cum ſit longe nobilissima, tamen propter eorum qui eam exercent ignorantiam, omnibus artibus multò inferiorem haberit. Hujus autem rei ille cauſam non aliam conjetit eſſe, quam eam quod ſoli arti medicæ nulla in urbibus

G 2

præter-

præterquam *άδοξις* (quod infamiam nonnulli vertunt Latinæ, quum fortassis nihil hic significet quam aliquam estimationis jacturam) poena posita sit: quæ videlicet minime tangat homines frontis jam tum perficitæ. Ipsem etiamen Hippocrates quo huic incommodo mederetur, quemadmodum non minus optimus artis doctor fuit, quam optimus factor, neminem ad descendam artem admisit nisi juramento astricatum. Exstat hodieque illud insigne vetustatis monumentum, quo dubites sanctius ne quid aut doctius aut prudentius excogitari possit. Videbat sc. vir summus, ita fere ubivis comparatum esse, quod Plin. l. 29.
Hippocri-
tus. s. I. nius ait, ut in hac arte sola evenias, ut cuicunque medicum se professo statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio magus: itaque id maximè accurandum prudentissime duxit, uti malis omnibus atq; ineptis occasio præcipiatur in medicum nomen involandi, & quæstum ex mortibus hominum faciendi id verorectius fieri nequit, quam si paucissimi, & illi quidem boni atq; ἐν Φυσι, seu ab ingenio instructi, ad artis auditiones admittantur. Prorsus sc. ut in sacrifici fieri amat, quæ non patent nisi jam initiatis. Nempe (ut verbis utar ipsius Hippocratis) ταὶ ιερὰ ἔστα πενήγματα
ιερῶσιν ἀνθεώπων δέκατα, βεβήλωσι δὲ θέμις πέντε οὐ λεῖψαν
οὐδείσιον τῆς θησημηνος.

Hipp. in
Thess. Verum hæc laus privatum Hippocratis est, aut si quis alias Hippocratem in illo negotio prudenter est emulatus: ipsæ vero Græcorum resp publicæ nequaquam sibi hac parte caverunt. Græci mores autem Romanum etiam populum afflaverunt. Etsienim ille primis sexcentis annis caruerit medendi arte, simulac tamen illam à Græcis accepit, etiam vitia quoque Græcarum rerump. eum invaserunt. Tragice isthac de re conqueritur pas- sima

sim C. Plinius, ut propemodum ipsimet arti convitium ^{Plin. I. 5. 56}
dixisse queat videri. Nulla (ait ille) lex est quæ puniat inscri-^{cap. I.}
ziam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis
nostris, & experimenta per mortes agunt: medicoque tantumbo-
minem occidisse impunitas summa est. Quinimo transit convi-
cium, & intemperantia culpatur, ultroq; qui periere arguuntur.
Sed decuria pro more censuris Principum examinantur: inquisitio
per parietes agitur, & qui de numero judicat à Gadibus columnis q;
Herculis accessur: de exilio vero, nonnisi die quadragesimo
quing; electis viris datur tabula. At de judice ipso quales in con-
silium eunt? statim occisuri. Ex quibus videre est, pessimè
tum quidem apud Romanos rem fuisse medicam constitu-
tam; ut quam sine discriminé cuivis medicum se professo,
sine ulla prævia censura, sine ullo etiam examine operum
artis subsecente, exercere licuerit.

Neque vero illud vel sequentibus temporibus vide-
tur emendatum legibus fuisse. Sane constat, Archiatro-
rum, h. est eorum, qui valetudinem Cæsarum curabant,
(quorum aliqui reapse id præstabant, aliis titulus hic pro
dignitate erat;) collegio inquam illi fuisse sua examina eo-
rum qui erant cooptandi, præterea summum præfectum
(ipsi Comitem nominabant) fuisse datum, atq; adeo quasi
judicem aliquem summum. At apud alios medicos idem
obtinuisse non reperio. Ut in collegium illud illustre Ar-
chiatrorum nonnisi facto per archiatros examine nemo ad-
mitteretur, ante seculi quarti postremos annos vix cœpit,
ex Valentiniani scilicet & Valentis Imperatorum institu-
to: quod alias latius probabitur. Itaque illo quidem ævo ^{Vide Dis-}
observare est, amplissimas quidem dignitates medicis con-^{sertat. 4.}
cessas: legem quæ bonos à malis distingueret, aut quæ pu-
niret incitiam capitalem, non temere est reperire.

Similiter Romano Imperio collapso primi quidē Ara-

bes artem hanc excoluerunt: ceterum ipsine rectius sibi caverint quam Græci ac post Romani, non habeo dicere. Certe hodie per Asiam omnem & Africam, imo ubique Arabum sacra in pretio sunt, longe infrae Christiani orbis nostri conditionem ars isthac depressa est.

Seculo undecimo in Occidentali quoque hoc orbe coepit ars medica, Salerni cum primis, restorescere, Constantino potissimum Africano auctore, certe adjutore. Eam tempestatem subsequutus statim Rogerius primus Siciliæ utriusque (ut loquuntur) Rex & Salerni Princeps, cum multas leges sanxisset, octavam decimam tulit *de probabilitate experientia medicorum*, quæ cavetur ne quis medicinam exerceat nisi prius à magistratibus & judicibus probatus; utque secus faciens bonis omnibus spoliatus in carcerem compingatur. *Hoc enim prospectum est*, ait Rex, *ne in Regno nostro subjecti periclitentur ex imperitia medicorum*. Ceterum hæc lex affinior est constitutioni Cæsarum antiquorum de Archiatris. Non multò post, ut quidam opinantur, Fridericus I Ahenobarbus Imperator noster, occupato regno Neapolitano eandem legem ibi non confirmavit tantum sed & ampliavit. Ne quid tamen dissimulem, videtur hoc non ab illo Friderico sed demum ab hujus nepote Friderico II profectum esse. Superat in Legibus Neapolitanis antiquis, quas post alios edidit Fridericus Lindenbrogius vir doctissimus, constitutio illius prudenter pariter ac fortissimi Germanicorum Cæsarum, quæ sit hujus argumenti non una; interque eas una quæ prohibetur, ne quis ad faciendam medicinam admittatur, nisi à medicis collegii Salernitani aut Neapolitani probatus & potestatem medendi sit consequutus, quam licentiam vocant, sub poena anni carceris & omnium bonorum

Vide Con-
stitution.
Sicular.
Frider. II.
lib. 3. tit.
34.

Leg. Sic.
I. cit.

bonorum confiscationis. Fortassis licebit ipsiusmet Cæsar is verba quædam ex legibus illis adducere in medium. Attendentes, inquit, grave disspendium & irrecuperabile damnum, quod posset contingere ex imperitia medicorum, jubemus, im posterum nullum medici titulum prætendentem audere practicare aliter vel mederi, nisi Salerni primitus & in conveniu publico magistrorum judicio comprobatus, cum testimonialibus literis de fide & sufficienti scientia tam magistrorum quam ordinatorum nostrorum, ad præsentiam nostram, vel nobis à regno absentibus, ad illius presentiam, qui vice nostrâ in regno remanserit, ordinatus accedat, & à nobis vel ab eo medendi licentiam consequatur; pena publicationis bonorum & annalis carceris imminentे his qui contra hujusmodi serenitatis edictum in posterum ausi fuerint practicare. Eiusdem verba sunt: Præsentietiam lege statuimus, ut nullus in medicina & chirurgia nisi apud Salernum legat in Regno, nec Magistri nomen assumat nisi diligenter examinatus in præsentia nostrorum officialium & magistrorum artis ejusdem. Ordinativerò (illi erant bini sacramento astricti) quorum fidei predicta sunt commissa, si fraudem in credito ipsis officio commississe probetur, ultimo supplicio ferendos esse censemus. Non possum quoque non recitare ejusdem Cæsar is legem de studiis ipsius artis nostræ: Quia numquam sciri potest scientia medicinae, nisi de scientia Logicali prescribatur, statuimus, quod nullus studeat in medicinali scientia, nisi prius studeat ad minus triennio in scientia Logicali, post triennium si voluerit ad studium medicinae procedat, (videtur addendum, per quinquennium) ita quod chirurgiam quæ est pars medicinae intra predictum tempus addiscat. Post quod, & non ante, concedatur sibi licentia practicandi, examinatione juxta curiae formam præhabita, & nihilominus recepto pro eo, de predicto tempore studii, testimonio magistrali. Item in eadem:

56 DE ANTIQUITAT. ACADEMIC.

dem lege infra: Nec tamen post complerum quinquennium practicabit, nisi per annum integrum cum consilio experti medici practicaverit. Magistri vero intra istud quinquennium libros authenticos tam Hippocratis quam Galeni in scholis doceant tam in theoria quam in practica medicina. Salubri etiam consti-
tutione sancimus, ut nullus chirurgicus ad practicam admittan-
tur, nisi testimoniales literas offerat magistrorum in medicinali
facultate legentium, quod per annum saltem in ea medicina
parte studuerit, que chirurgiae instruere facultatem, & præser-
vit anatomiam humanorum corporum in scholis didicerit, &
sit in ea parte medicinae perfectus, sine qua nec incisiones salubri-
zer fieri poterunt, nec fractura curari. Hactenus ille Cæsarum
Germanorum eruditissimus.

Subsequuntæ autem statim sunt passim alibi scholæ re-
giæ: atque procul dubio hoc initio nata optima illa lex
Academica, cuius initio meminimus. Quo paret pro-
fecto, nos heic sane jure gloriari posse præ Græcis ac Ro-
manis: ut illi leges suas jacent, multisque hodie etiam
sit persuasum, illorum institutis nihil prudentius fingi
posse aut exquisitius.

Vtinam verò tam recte observaretur lex illa, quam
illa recte constituta est! Nunc eorum, quorum auctoritate
leges unice consistunt, vitio ita ferè comparatum est, ut
parum absit quin Plinii querelæ in nostrum quoque æ-
vum congruant. Passim enim nullo doctore exculti, il-
lotis ut sic dicam manibus, illotis pedibus, medicorum
professione se induunt, carnificinam ampla mercede exercituri.
Etiam audent hi male feriati Academicis insti-
tutis maledicere: quorum nempe sanctitate ipsi ab arte
facienda procul arcentur: ostentantes interim sese
arcanorum remediorum possessione, in crassissima faci-
endæ

endæ artis imperitia. Et tamen huic hominum generi
passim creditur: quum contrà in quavis meliusculè con-
stituta civitate nemini ephippiario, non cerdoni, non
vilissimo cuique ministro atque artifici sordidissimo artem
suam liceat exercere, cujus ille specimen aliquod non e-
diderit primoribus in arte viris comprobatum. In Mon-
tepessulano, antiquissimo & celeberrimo Artis nostræ em-
porio, si quis medicum se mentiatur (verba recito Joannis
Libautii medici Parisiensis clarissimi) mox rapitur in asi-
num strigosum, & si invenitur scabidum, tollitur subli-
mis, aversus tota urbe circumducitur, ludibrio omnibus commentaq;
in Aphor.
est, conspuitur, vapulat, laceratur, sordibus omnis gene-
ris conspurcatur, ceu olim sacra illa Massiliensium victi-
ma, postremo expiata urbe ejicitur, illuc nunquam redi-
turus nisi maximo suo malo. Vtinam vero & alibi passim
idem fieret! Certè plures hodie viverent, & imposterum
pauciores morerentur.

Sed quo pro labor? Id volebam. Quum reipublicæ
tam sit utile institutum illud Academicum, neminem
ad artem faciendam temere admittendi nisi probatum à
magistris & quasi architectis nostræ artis, non posse me
non laudare hos quos mihi sistis, Spectabilis D. Decane,
candidatos, viros doctissimos: quippe qui, non quorun-
dam more, nullo factō examine nulloque specimine in
publicum edito ad artis opera voluerint accedere, sed san-
ctissimè scholarum instituta observaverint. Est autem il-
lud jamdudum ab iis factum, magno omnium applausu.
Quæ enim exiguntur ab omnibus artem facturis, illæ
constat ita eos esse persequitos, ut nullius non publicam
laudem impetraverint. Accessit pòst & usus artis insignis,
nec minore cum laude jam aliquot per annos: quo fese

H

Prig.

Libautii
præfat. in
Hollerii

Principibus ac civitatibus multis probaverunt. Eapropter non est etiam, quur me, Spectabilis D. Decane, multis roges, uti facultatem tibi concedam commeritis dum honoribus hosce viros afficiendi, iis inquam quos solent Scholæ nostræ exhibere omnibus, qui suam in arte nostra peritiam satis probaverunt. Quæ enim omnia Hippocrates noster requisivit in eo ὅσῳ (ut ipse loquitur) γέλαι ἵπποις ξύνεστι τρέχειν ἀριστούσα, illa omnia abunde his viris esse, dum perspectum habui. Neque enim aliqua illis dos ingenii deest: doctorum etiam optimorum præceptis, cœu optimo semine, illum ingenii agrum conservunt. Vixerunt præterea non uno loco studiis medicis dicato, in clarissimis nimirum Germaniæ Academiis. Nec minus accurate à pueris usque instituti sunt. Sicut nec φιλοποίην quis unquam in iis potuit desiderare. Omnia sane tempus haud parvum ad maturitatem perdixit. Tales vero quum jam dudum sese probaverint, ostenduntque jam tum sese medicos μὴ λόγω μάνοντα ήγειρα (liceat verbis Hippocraticis uti) quis nolit illos honores atque illud nomen publica auctoritate iis deferre, quos jam dudum publico omnium consensu commeruerunt? Ego sane tantum absum, ut iis potentibus quidquam censeam denegandum, ut & ultrò ipsis nec petentibus & hoc & longe plura offerri debere arbitrer.

Quando igitur Serenissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus Dei Gratia Dux Brunsvicensis & Lyneburgensis, Postulatus Coadjutor Episcopatus Ratzeburgensis, Electus Præpositus Archiepiscopatus Bremensis, hujusque Academiz Juliz pro tempore Rector ac Cancellarius magnificentissimus, Dominus noster clavisissimus, Procancellariatus unus

me

Hippocr. in
nōm. w.

me hodie voluit administrare, non morabor ego neque
 Tuum, Spectabilis D. Decane, neque quos stitisti Can-
 didatorum, virorum sane doctissimorum, desiderium.
 Pro munera itaque mei, quo hodie fungor, auctoritate,
 concedo tibi hosce viros, D. N. N. N. ubi se solenni
 Facultatis Medicæ juramento obstrinxerint, Doctores
 Artis medicæ creandi, creatos renunciandi, & omnibus
 privilegiis, immunitatibus, indultis, beneficiis ac juribus
 donandi, quibus ille ordo à summis Pontificibus, Impe-
 ratoribus, Regibus, ac Principibus unquam condecora-
 tus fuit, aut quibus alias gaudere uti frui potest ac debet,
 sive de jure sive de consuetudine. Deum Opt. Max. oro
 obsecroque, ut isthuc ipsum in nominis divinigloriam,
 publicæ rei emolumentum, simuletiam in Candidatorum
 vergat insigne commodum.

DISSERTATIO TERTIA

HABITA XVI. OCTOBR. ANNO CIC IC C XXXIX.

Quum Decanus collegij medici uni Candidato
 titulum Doctoris concederem.

 Vujus rei gratia huc potissimum accesserimus,
 neminem sane latet. Mihi vero etiam scio,
 præter illud potissimum munus, incumbere
 ex consuetudine Academiæ hujus & alterum,
 minoris quidem momenti & quasi secundarium, æquè
 gravis tamen operæ nec minori diligentia peragendum.
 Scilicet, antea quam hunc Candidatum nostrum publi-
 cis honoribus inaugurem, sermo aliquis mihi ex more
 habendus est quasi in antecessum. Vtrumq; agam: & brevi-

H 2 bus

bus quidem quod hodie sacra ex sacris nobis nascantur, quorum πλεταὶ quælibet haud exiguum temporis spaciūm exigunt. Nec tamen vos morari, Auditores, longis aut sermonibus aut ceremoniis fas est, multo minus fatigandi estis: utpote quum adventu vestro atque illa vestrā frequentia Candidatum nostrum ornare velitis. Sanè gratias vobis deberi maximas ipsimet fatemur: qui nisi fateremur profecto essemus impii. Itaque ego quidem nemini molestiam creabo prolixo quodam præloquio. Dicam vero de argumento auditu nec injuncto, nisi fallor, nec inutili, de ortu inquam Academiarum sive Regiarum scholarum unius Europæ nostræ. Cui vero non jucundum fuerit id audire? imo cui non fuerit utile? Nobis certe qui aut Senatores aut cives Academicī sumus, non potest non maximam parere voluptatem, si cognoscas, reipubl. illius exordia, in qua omnes vivimus, atque unde tot indies nobis profluunt commoda. Etsi vero jam ante annum eodem de argumento mihi haud pauca dicta sunt: persequutus tamen tunc maxime sum instituta scholarum veterum, Græcarum, Latinarum, Ægyptiacarum, Persicarum, atque Saracenicarum, saltim quo clarius patesceret quantum illa à nostris fuerint remota. Nostra equidem non nisi levi brachio perstrinxī, in commodius tempus eorum narratione rejecta. Nec tamen vel hodie propositum habeo omnia illa tangere, quæ ad Academiarum nostrarum faciunt instituta. Isthæc narrantem dies me deficeret, Auditores. Nunc vero ne morandi quidem estis. Itaque illa duntaxat persequar quæ faciunt ad originem Europæarum scholarum: quæ, nisi admodum fallor, valde latet in obscurō. Dicam ergo quo tandem tempore, quorumque auspiciis

spiciis scholæ Europæ hanc quasi civitatis formam assumperint. Nec illas metas egredietur oratio mea. Quæ differentem uti me benigne audiatis, etiam atque etiam rogo.

Quinctum à Servatoris nostri natalibus seculum a-
gebatur, quum justo Dei judicio in cultissimas Romani
Imperi occidentalis terras effudentibus sese Germani-
cis potissimum gentibus, non multo temporis spatio
omnis Africa, potioresque Europæ provinciæ, Hispania,
Gallia, Britannia, Pannonia, Italia spissa imperitiæ cali-
gine quasi obducerentur. Ex eo nulla amplius professorum

salaria, nullæ scholæ publicæ, per omnem illum terrarum
tractum. Scribit M. Aurelius Casiodorus, se auctore

Agapetum Pontificem Romanum Theologicam scholam Cassiod.
Romæ ad instar Nisibænæ instituere conatum quidem; ir- præfat. in
ritum tamen illud consilium fuisse præ temporis illius libros di-
calamitatibus. Exstat etiam apud eundem Cassiodorum vinar. leg.
1.9. epistola vicecima prima Athalarici Ostrogothorum in Ita- ation.

lia Regis, qua ille jubet salaria solvi ex more antiquo Pro-
fessoribus in urbe Roma sine deductione (ita loquitur) seme-
stribus etiam singulis. Quin legimus, eodem tempore &
Anicum Manlium Severinum Boëtium, virum & digni-
tate & opulentia & virtute & eruditione longe maximum,
Aristotelicam philosophiam Romæ docuisse: quanquam
salario docuisse non dixerim. Incidit autem hæc ætas
in tempora Theodorici Ostrogothorum Regis, vel seculi
quinti ac sexti confinia. Porro non multò post constituit,
aut renovavit potius, Justinianus etiam Imperator nonnula,
de Grammatices Rheticæ & Juris Romani professo-
ribus in urbe Roma: uti in ejus legum Codice hodieque
legere est. Verum enim vero ultra bonos conatus non

Vide sis.
de stud.

H 3

fortassis

liberalib.
Vrb. Ro
me.

fortassis omne hoc negotium progressum est. Quei enim felicius potuit in eo omnium rerum interitu, destructo scilicet Gothorum sic satis justo imperio per immania bella, & Italiam denuo mox invadentibus Langobardis per Narsetem invitatis? Nec tamen ego negaverim primæ ac rudioris literaturæ scholas Romæ semper superfluisse. Forte nec doctores defuere alii. Certum quippe est, eo loci aliqua semper eruditionis priscæ saltim vestigia remansisse. Sed dubio procul per fuerunt studia omnia.

Eadem tempestate floruit S. Benedictus, omnium occidentalis Ecclesiæ monachorum hodie pater. Hic eti ordinis sui homines non jussit publicas habere scholas, instituit tamen, ut saltim illi, quibus ex novæ Regulæ præscripto vivere animus, in monasteriis docerentur. Jam ante per Orientem, ubi primum nata sunt *τὰ ἀσκητικὰ* instituta, in cœnobiis nonnullis videntur sacræ scholæ habitæ, ut quidem ex Joannis Chrysostomi tertio contra vituperatores monastices libro manifestum est. Etiam Occidentis quibusdam cœnobiis suæ jam videntur scholæ fuisse. De eo sane quod in Lerinæ, insulae Tyrrheni maris Galliæ Narbonensi adjectæ, cremo exstruxerat Honoratus Massiliensis, vetant nos dubitare, non tantum clara illa ævi sui & Ecclesiæ Galli anæ lumina, prætet Honoratum ipsu Maximus, Faustus, Hilarius, Cælarius, Vincentius, Eucherius, Salvianus, Salonijs, cremi illius alumni, sed & ipsa Eucherii Lugdunensis verba, quibus ad Salonium filium in posteriorem librum *Instructionum* suarum præfat. 12. est præsatus. Dignum est, inquit, quæcumq; cura mea ingenium tuum reparari, qui vix dum decem annos natus crevum ingressus, inter illas sanctorum manus non solum imbutus verum etiam confrutus sis ab Honorato, patre inquam illo primo insularum postea

postea Ecclesiarum magistro, quem te illic beatissimi Hilarii
rum insulani rironis, sed jam nunc summi Pontificis, (Arclatensis
videlicet) doctrina formaret perennes. Spirituatum rerum disci-
plinas: adhuc etiam te postea consummatus sumus viris Sal-
viana arque Vincentio, eloquentia pariter & sapientia praemi-
nentibus. Cæterum præ aliis huic rei operam navaffe
jure dixeris, quæ ad Benedicti regulam instituta sunt cœ-
nobia. Hinc sanè ipsimet Benedicto erudiendum filium
Placidum tradidit Tertullius patricius, ut refert *Historia
Cassinenis*. Et de Mauro Benedicti discipulo in Gallias
misso refert Ivo, in Aurelianensi monasterio iuultos no-
bilium Francorum hberos ab eo pietatis fuisse studiis im-
butos. Sunt autem ex Benedicti præscripto tantum non
omniatorius Occidentis monasteria cum vetera reforma-
ta tum nova constituta.

Quo factum, uti ab illo usque tempore Benedictini
Ordinis monasteria non pietatis solum, verum & doctrinæ
scholæ fuerint, vix tamen extra sua claustra fese porrigen-
tes. Neque enim verum est quod nonnulli tradunt, ex
primo instituto suo ~~domus~~ isthac scholas fuisse publicas
promiscue omnium, etiam ordini isti non addictorum.
Quippe quam sententiam & Regula ipsa S. Benedicti &
historia temporum falsi coarguant. Stetit vero omnis ist-
hac doctrina intra levem Latinæ linguae peritiam, & Chri-
stianæ Theologiae usum; quibus nonnulli mathematicum
quid, computi Ecclesiastici rectius cognoscendi gratia,
(postquam illam curam Dionysius Exiguus Romæ accen-
derat) parumque artis medicæ addiderunt. Id ipsum ab-
unde liquet, cum ex monumentis illius ævi omnibus, tum
ex Cassiodori opere *divinarum humanarumque lectio-*
nrum, quo vir optimus monachos ad literarum studia

Ivo in
chron. in
vita Iusti-
niani.

manu-

manuducere instituit. Observatu autem omnino dignum est, sexto septimo atque octavo seculis, neminem fere per Italiā, Galliā, Britanniā, Hispaniā (uno verbo) in Occidentalis Ecclesiæ toto orbe, nomen aliquod scripto libro obtinuisse, qui non in monasterio educatus sit atque institutus. Igitur ubi meliora atque plura tum temporis monasteria, ibi & plures & meliores viri docti floruerunt. Qua felicitate cum primis tum Britannia fuit, ut quæ ipsam quoque Italiā, aut luxu aut bellis impediat, longo post se intervallo reliquerit. Non enim Britanicis monachis quidquam tam ingenti temporis tractu aut melius aut doctius totus Occidens habuit. Qui inter illos eminet Beda, idem omnium illius tempestatis per Occidentem universum fuit doctissimus. Nos ipsi Germani prima Christianæ doctrinæ exordia illis cœnobitis debemus. Imo debemus illis initia omnis culturæ melioris, atque eruditionis: sicut Angli ipsi ac Scotti à monachis Romanis eam aliqua ex parte antehac acceperant.

Præter has autem Monachorum scholas per ducentos amplius annos, toto in Occidentali orbe, nulla Philosophiæ, nulla Romani Juris, nulla humaniorum literarum, nulla Christianæ doctrinæ, nulla Medicæ artis denique cathedra uspiam fuit. Nam quod narrant non-

Polyd. l. 5. hist. Angl. nulli, Cantabrigiæ in Anglia à Sigeberto Rege, anno Christi sexcentesimo tricesimo, publicam Academiam

Rectius Camdenus esse institutam, id vero dubia annalium fide nititur; Can-

tabrigiensium quoque æmuli Oxonienses pernegant for-

in Britan- titer. Et ut quædam fuerit instituta, procul dubio rudis

nia, ubi de illa fuit, nec in longum tempus. Cæterum nono seculo ma-

Cantabri- jori verisimilitudine laus illa competit. Sicut enim plane

gja, illo tempore & inter Saracenos sapientia fuit accensa, &

protracta

protracta est iterum in lucem Constantinopoli eruditio per Bardam Cæsarem ac Photium patriarcham, quod alias narravimus: ita etiam Occidentalis hic orbis, nunquam satis memorando Dei beneficio, barbariem suam cœpit non leviter tum discutere.

Primum enim MONASTICÆ scholæ longè quam antehac plures institutæ; non modo per Italiam, Galliam, Britanniam, Hispaniam, ubi ante non nisi paucæ erant, verum etiam per Germaniam nostram, ubi antehac vix ulla. Ex istis autem phrontisteriis magna statim copia monachorum profluxit, qui ut non minus pietate quam doctrina eluxerunt, ita amplissimis Episcopatibus muneribus summum laude, imo cum Ecclesiæ fructu maximo sunt præfecti. Quantos sane viros vel sola tum Germania statim protulit! Rabanum Maurum, Strabum Fulensem, Haymonem, Walafridum Strabonem, Paschasium Ratbertum, Amalricum Trevirensim, Halitgerum, omnes scriptis editis clarissimos. Taceo enim nunc alios: quamvis una ad Visurgim Corbeja nostra Bremæ dederit ordine integros quinq; priores Episcopos eosque omnium optimos, nec minus alibi pari virtute aliquam multos.

Ad hoc vero passim locorum cum EPISCOPALIBUS COLLEGIIS novum scholarum genus cœpit. Ejus institutio exordia quædam, ut S. Basilius in Oriente, ita in Africa princeps fecerat jamdudum antè S. Augustinus. Factus enim presbyter (verba sunt Possidii in vita S. Augustini) monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum sap. 5. Possid.
Dei servis vivere cœpit, secundum modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam: maxime ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia & distribueretur unicuique prout cuius opus erat. Quod jam ipse prior fecerat, dum de transmarinis ad sua remeasset. Laudabile

bile isthuc S. Augustini facinus imitantibus paulatim sponte sua Episcoporum nonnullis, magis magisque increbuit cœnobitarum istud genus Episcopalibus sedibus adjunctorum, quos etiam tunc ab observato singuli-
ri vivendi canone Canonicos aut Regulares usurparunt. Scholas tamen an & hi, sive in publicum, h. e. quos-
vis admittentes, sive fratribus suis, jam tum temporis habuerint, mihi quidem non liquet. Imo potius vero ab simile videtur, quum nihil isthac de re scitum invenias in Regula ab ipsomet sanctissimo illo patre suis illis Ca-
nonicis præscripta. Nec enim fortassis causæ quidquam est, quur illam Regulam quam Patri isti tribuerunt tot se-
cula, ac commentariis Hugo de S. Victore & Humbertus illustrarunt, cum nonnullis in alium auctorem referamus.
Invenio autem in illa Regula nihil quod huc faciat: nisi forte eo trahere quis velit: *codices certa hora singulis die-
bus perantur; exira horam qui petierit non accipiat.* Quæ ta-
men verba nequaquam de schola loquuntur habenda, sed de lectione.

Cæterum nono quod diximus seculo & hæc Cano-
nicorum aut Monachorum (perinde enim propemodum tunc quidem fuit) collegia frequentius sunt instituta, & si-
mul passim locorum iis injunctum scholarum habenda-
rum negotium, auspicio cum primis atque auctoritate Ca-
roli Magni ac Ludovici Pii, primorum Francicæ stirpis Cæ-
sarum. Nec enim ullam hi Episcopalem constituerunt ca-
thedram, nisi adjuncto simul Canonicorum collegio cui
ex præscripto S. Augustini fuerit vivendum. Ex eo igitur non in monasteriis duntaxat, sed ubique etiam loco-
rum Episcopalis cathedra erat, scholæ exerceri cœperunt;
& quidem, ut tempora tum ferebant, exigebatque necessi-
tas in illa rudium hominum frequentia, cum literaturæ La-
tina

tinæ potissimum tum interdum aliqua ex parte etiam Theologiarum Christianarum, vix tamen aliis quam clericarum vitæ additionibus auscultantibus. Quos scilicet sacrorum Latina lingua celebrandorum necessitas ad aliquam saltim ejus literaturæ peritiam acquirendam adigebat. Et verò omnibus illis in collegiis quis est constitutus qui scholas haberet, non minus atque in aliis monasteriis. Meminit ejus rei Ansegirus hisce verbis: *Carolus siquidem constituit in singulis monasteriis & Episcopiis scholas esse, ubi ingenuorum & servorum filii Grammaticam Musicam & Arithmeticam doceantur.* In Cabilonensi quoque Concilio cap. 43. ipsa illa constitutio hisce verbis laudatur. Oportet enim sicut Dominus Imperator Carolus, vir singularis mansuetudinis fortitudinis & prudentiae justitiae & temperantiae, præcepit, scholas constitui, in quibus literaria solertia, disciplina & sacrae scriptura documenta discantur, & tales ibi erudiantur, quibus merito dicatur à Domino: *Vos estis sal terra &c.* Memorabile etiam est quod in Privilegio Osnabrugensi Episcopatus anno 804. concessso, legitur: *Insuper (verbis Carolis sunt) eidem Episcopo ejusq; successoribus concedimus licentiam libertatem & ab omni regali imperio absolutionem.*

Crantz, in
Metropoli
lib. 1.

Nisi forte contingat, ut Imperator Romanorum & Rex Graecorum conjugalia fædera inter filios eorum contrahere disponant: tunc Ecclesiæ illius Episcopus cum sumptu à Rege vel ab Imperatore adhibito, labore simul & honorem illius legationis assumet. *Et ea de causa statuimus, quod in eodem loco Gracas & Latinas scholas in perpetuum manere ordinavimus, nec unquam clericos utriusque linguae gnares deesse confidimus.* Ab illo instituto est, quod hodieque plerisque Canonorum claustris scholæ habendæ locus adjunctus sit: quodque uni Canonorum etiam num Scholastici appellatio maneat. Porro quod præclare Carolus Magnus instituerat, non minori diligen-

tia curavit filius Ludovicus, cui virtus Pii cognomentum conciliavit. Exstant hodieque in laudem illius Principis cum alia tum in primis canones Aquisgranensis magni conventus, quibus multa ad Ecclesiasticum statum pertinentia quam sanctissime sancta, tum Canonicorum collegia ordinata sunt. Lothario quoque imperante anno 855 Concilii Valentini in Gallis celebrati caput octavum decimum itidem scholas in singulis Episcopiis fieri jussit. Quod quarto post anno iterum repetitum Lothario Lotharii Imperatoris filio regnante, in concilio Tullensi. Canon ejus hic est: *Vt schola sanctorum scripturarum & humanae quoq; literaturae, unde annis praecedentibus per religiosorum Imperatorum studium, magna illuminatio Ecclesia & eruditionis utilitas processit, deprecandi sunt pii Principes nostri, & omnes fratres & Coepiscopi nostri instantissime commonendi, ut ubique intelligentes donare dignatur, constituantur ubique schola publica, ut utriusq; eruditionis, & divinae videlicet & humanae, in Ecclesia Dei fructus valeat accrescere. Quia (quod nimis dolum est & pernitiosum maxime) divine scriptura verax & fidelis intelligentia jam ita dilabitur, ut vix jam extrema ejus vestigia reperiantur. Et idcirco ingenti cura & summo studio remedium procurandum est. Hactenus canon. Apparet autem ex isthoc canone, optimè quidem sanctum tunc temporis hoc scholarum genus, cum Carolo tamen & Ludovico Pio fere iterum concidisse.*

Quanquam vero a principiè Carolo profluxisse id instituti quis crediderit, & multi hodie credant, non fraudanda tamen forte gloriâ hujus inventi Anglia videtur. Scribit enim ad annum 761 Cardinalis Baronius: *Hoc anno in Anglia Egbertus Episcopus Eboracensis Regis germanus, scilicet*

entia & sanctitate clarus diem clausi extremum. Fuit iste magister Albini qui & Alcuinus Flaccus dictus invenitur, qui ipsum pluribus laudat in literis ad Carolum Magnum scriptis, ut pose quod inter alia insignia opera, publicum sacrarum literarum gymnasium Eboraci instituit, eamq; Ecclesiam nobili bibliotheca ditavit. Constat etiam ex vita Ludgeri, ipsum Albinum Eboraci sacras literas esse professum. Itaque vero est simile, ex Albini consilio, atque ad exemplum Egberti illius, laudabile hoc Caroli Magni institutum profectum esse: utpote quum notum sit ad reparandam rem literatiam Albini præcipue consiliis Carolum esse usum. Cæterum de Albino etiam post differendum fuerit.

Præter hæc autem duo scholarum genera etiam TERTIVM atque adeo illud quod originem nostris Academias dedit, cœpisse eodem illo seculo nono, videtur: nec uno quidem loco. Ut enim de Anglia dicam prius, unde nobis ipsa illa doctrinæ rudimenta redierunt, ab Alphredo Rege scholam publicam Oxoniæ esse constitutam anno Christiano septuagesimo tertio vel potius nonagesimo quinto, ex Oxoniensium monumentis haud pauci hodie narrant. Ejus tamen non meminerunt vel Wilhelmus Westmonasteriensis vel Abbas Ingulphus, quires Anglicanas illius temporis satis diligenter tradiderunt: doctrinam duntaxat propè emortuam cum literariam tum Ecclesiasticam ab illo Rege esse resuscitatam, illis auctoribus est traditum. In id enim libros complures ex Bibliotheca Romana regiis sumptibus descriptos, ac viros eruditos ex Galliis & aliunde evocatos. Inter quos Joannes Erigena Scotus fuit, ille qui Dionysii dicti Areopagitæ opus de divinis nominibus ex Græco in Latinum vertit, suscepitæ alias & dubiæ in religionis negotio fidei. Sed bona artes disciplinamq; restitutam non nihil à Rege hor-

tatu S. Neotimonachi, apud quem Rex profugus ante aliquamdiu delituerat, certum videtur. Erat is Neotus natione Anglus, vita in instituto Benedictinus Monachus, nisi malis anachoretam fuisse, ac porro (ut quidem Arnoldus

Arnold. L. 5. Ligni titulum fecit *Ligni vste*, tradit) Diaconus in Hermstoke vita c. 37. Cambden. postque obitum catalogo sanctorum adscriptus. Auctor de script. verò est Guilielmus Cambdenus, seu potius ille ante laudatus Arnoldus, tria tum ab Alphredo rege Oxoniæ auditoria constructa esse, unum Grammaticis, alterum Philosophis, Theologis tertium. Quæ si vera sunt (quod dubito de Theologica saltim cathedra) ex parte congettura facile colligi potest, quæ docendi ratio isthac in schola tum obtinuerit. Sed quæcunque illa fuerit, omnes narrant parum illam felicitatem diuturnam fuisse: excipientibus illam paucis post annis Danorum incursionibus & Haraldi præcipue Regis barbara immanitate, quibus omnis Anglia, cum primis vero ipsa Oxonia, tantum non in cineres abiit ac sanguinem. Illa autem calamitas in Normannorum usque dynastiam, adeoque finem prope seculi undecimi, sese extendit. Quo tempore superfuisse Oxoniæ, licet exhausta in urbe, literarum & philosophiarum disciplinam, recte quidem colligit Wion & qui hunc descripsit suppressio nomine Cambdenus, exhibet Ingulphi verbis: *Ego Ingulphus constitutus primum VVestmonasterio postmodum Oxoniensi studio iraditus, cum in Aristotle arripiendo supra multos coetaneos profecisset &c.* Non minus tamen recte observat Cambdenus, restoruisse ibi literas, præsertim Roberti Polenii cura & favore Henrici secundi ac Richardi Regum, hoc est sub finem circiter seculi Christiani duodecimi. Et vero, eodem teste, *Polenij conatus adeo feliciter*

cessit

DISSERTATIO III.

71

cessit, ut regnante Joanne (is autem præfuit regno ab anno 1199 usque ad 1216) tria millia studiosorum in hac urbe fuerint. Henrico III autem rege, qui Joanni patri succedens obiit demum 1272, Tanta jam erat eruditorum copia, ut innumeris divinis humanisq; artibus instructissimi cum in Ecclesiam tunc in rem publicam fuerint propagati, Mathaeusq; Parisiensis universitatem Oxoniensem secundam à Lutetia Ecclesiæ scholam, Ecclesia imo fundatum, diserte appellari. Non patitur hic locus addere ex Cambdeno, quæ subjungit de collegiis illuc loci secuto tempore exstructis summo literariae reip. bono. Non possum tamen non adducere quod narrationi illi additum elogium: *His collegiis qua numero sunt sedecim, & aulis præterea octo, elegante structura, optimis redditibus, & instructis bibliothecis ira floret Oxonia, ut reliquas orbis Christiani Academias supererit omnes.* Verum præstat fortassis de ipso Alphredo rege ejusque nunquam satis laudando instituto recitare, quæ habet politissimus Anglicarum rerum scriptor gente Italus Polydorus Virgilius. *Dedit Aluredus,* inquit ille, *jam viginti natus annos operam literis, atque ita do-* Polyd. I. 8.
Et us evasit brevi, ut divi Gregorii dialogos, opus Boëtii de Consola- hist. Angl.
zione Philosophiae, & Psalmos David, ex Latino in patrum sermo- post finem.
nem verterit, quo à cunctis facile intelligerentur. Licer dialogos
& Boëtii opus quidam tradant ejus rogatu Verefredum aristis-
zem Vigornensem transalisse; quibus minus consentio, cum
ipse sic eruditus esset, ut par sit credere ejus fuisse opera. *At*
Psalmos, morte intercedente, non omnes omnino interpretatus
est. *Sudebat Rex optime animatus per id tempus, quo literæ*
apud Occidentales longe rarissimæ erant, suos quovis modo bene
vivendi rationem docere, mortaliumque animos ad bonas artes
discendas generatim inflammare: quare summe favebat ingeniosis,
fovebas horum dignitatem, amplectebatur nobilitatem, &
omnes

72 DE ANTIQUITAT. ACADEMIC.

omnes denique diligebat in quibus virtus inesset. Memorie quoque proditum est, Aluredum haud facile pari consueisse, quempiam in sacerdotum collegium venire, nisi vir probus atq; bene literis institutus esset: uipore qui probe scires sacerdotes secundum vetus verbum spectaculum factos esse mundo, ac praeterea alios mortales vivendi modum facile ab illis mutuari. Et quoniam per pauci admodum tales apud se esse cernebat, in circa undecung viros viras sanctitate & doctrina claros arcessebat, qui regale sacerdotium, uti apostolorum princeps appellat, obirent. Arqui Neorum imprimis monastice professionis virum sanctissimum, ob eximiam eruditionem, miro amore complexus est; quo hortante, Oxoniū gymnasium instituit, proposita mercede omnibus, qui publice bonas artes proficerentur. Quo multi doctrina clari confuxerunt docendi gratia. Hæc Polydorus. Non multo post addit idem nonnulla de ipsa Oxoniensi schola ejusque institutis, quæ itidem non possum hic omittere. Hec statim à principio, inquit, tum divinarum humanarumq; literarum studiis, tum mira hominum in doctrinas incumbentium frequentia multò celeberrima esse cœpit: deincepsq; usq; è floruit, ut jam facile cum quovis alto totius orbis gymnasio de nominis gloria certare posset. In qua scholastici ipsi, ut cuiusdam religionis observatione à primo imbuti, neutrī quam minus animos bonis moribus quam literis excollunt. Habent enim cœnobia magnifico apparatu constructa, mulierumq; cum episcoporum, tum regum, hominumq; nobilium, ac fæminarum probatissimarum munieribus opulentissima, quæ collegia vocant, quod eorum collegia eo loci collocata sint: quorum magistri sunt viri doctrina in primis probati, & honesti. Igitur ibi cum abunde suppeditentur facultates, communiter vivunt, ac quotidie bene mane aut rem divinam faciunt, aut sacris intersunt, antequam ad rem literarioram aggrediantur: atq; ita Deum cum primis veyantes

rerantes, sese castissimo simul vivendi genere & doctrinarum omnium studiis exercentes, unde jugiter singulari pietate & eruditioне viri, velar ex quodam totius orbis amplissimo disciplinarum theatro, existunt, qui tam pie quam utiliter, nunc docendo, nunc scribendo, mirum in modum rem Christianam juvant, celebrant, tuentur. Quemadmodum ex nonnullis, paucis quidem, nihil floret: qui omne vita curriculum ibidem sese molliter curando transfigunt, qui malis exemplis juventuti plurimum inzerendum nocent. Quæ sane morum labes minime fieret, si illi qui etiam nunc nova in dies singulos instituunt collegia, tandem aliquando certos darent scholasticis annos, ut aut docti suo tempore domum redirent, aut veluti asini ad lyram, ut dicitur, loca alii relinquerent, qui valde mulsum possent in literis proficere. Hæc iterum elegantissimus Polydorus. Quæ pro dignitate expendere tamen non licet, cum ab instituto nimis alienū, & nunc propositum sit duntaxat in originem Academiæ Oxoniensis, qualis illa facta est seculo nono, inquirere.

Eadem sanè de causa non est etiam, ut CANTABRIGIENSIS scholæ hic faciamus mentionem. Etsi enim apud Arnoldum Wion scribat Robertus de Remington: Regnante Eduardo primo de Studio Granzbrig (illa est Cantabrigia) facta est Universitas sicut est Oxonia, per Curiam Romanam: adeoque possit cui viderinon alienum esse ab hoc tempore: cum rerum in Anglia potitus sit Eduardus I in confiniis noni atque decimi seculi. Reve-
ra tamen loquitur autor ille de Eduardo Normannicæ stirpis id nominis primo, qui regnum adiit demum anno 1272, quo rege primum quod vocant Collegium ibi ex-
Arnold.
l. cit.

Cambden;
in Britan-
nia.

Nos, Britanniarelicta in GALLIAS transfretabimus.
Ibi vero, & quidem Lutetiæ PARISIORVM, isthac ætate

K

jacta

jacta tum initia fuisse scholæ illius toto jam orbe celeberrimæ, magis certa est fide cognitum. Etsi enim unum alterumque esse sciam id qui neget, adeo multis rāmen seculis atque adeo diversis gentibus id traditum est, ut illi consensui repugnare sit pene frontem ferire. Scilicet quamvis, ut de revetusta, non idem omnes narrent, Caroli tamen Magni auspiciis scholam publicam Lutetiarum apertam esse, in id verò doctissimi quique consentiunt. Non abs re fuerit fortassis, quid eo de negotio referant

Buchi hist. unus atque alter, hic recitare. Georgius igitur Buchanani exquisiti vir judicii, cum libro quinto Scoticarum rerum, ab Achajo primum Rege inter Francos & Scotos initam esse amicitiam, dixisset, secundam ejus amicitiae causam hanc adducit: *Deinde etiam à Carolo Magno, qui Galliam non minus literis quam armis illustrare cupiebat, accessit è Scotia qui philosophiam Lutetiae Graece & Latine docerent. Apud Scotosenim adhuc erant monachi, vetera disciplina nondum extincta, literis & pietate insignes. Quo è numero erat Joannes cognomento Scotus, sive Albinus, quod idem valet (Scoti enim se Albinos suā lingua vocant) Caroli praeceptor, qui plurima ingenii sui monumenta reliquit: è quibus nos (verba recito Buchanani) Rhetorica praecepta vidimus, cum inscriptione Joannis Albini. Clementis quoque Scotti, qui eodem tempore Lutetiae literarum insignis professor erat, quedam scripta adhuc supersunt. Hæc Buchananus. Nonnulli Scotti tunc missos ab Achajo scribunt præter alios Mailrosium & Clementem; fuit autem fortassis Joannis cognomentum Mailrosius. Quæ ut vera sint, Albinum tamen sive Alcuinum, Caroli magistrum, aut Scotum fuisse, aut ex Scotia ab Achajo missum, quod scribit Buchananus, nix adducor ut credam. Quos enim equidem alios legi An-*

Riddell.
pref. in
Art. Med.

gi, hi Anglum fuisse narrant. Certe S. Ludgerus popularis meus, idemque monasterii illius omnium in Saxonia antiquissimi, quod opido huic adjacens Ludgeri nomine usurpatur, conditor, uberioris doctrinæ gratia ad Albinum audiendum Eboracum contendit, ut in ejus vita legitur. Ipse Albinus epistola quam ad Eadbaldum Episcopum Eboracensem conscripsit, Egbertum Archiepiscopum Eboracensem præceptorem suum profitetur. Eginharto locupletissimo utiq; testi diserte appellatur *Saxonici generis Britannus*. Ipse met Egbertum magistrum agnoscit ut & Anglicam patriam suam in epistola ad Carolum Magnum hinc verbis: *Date mibi exquisitoris eruditionis scholasticæ libellos, quales in patria habui per bonam de votissimam Egberti Archiepiscopi industriam. Et si placet sapientiae vestrae, remittam aliquot ex pueris vestris qui excipiunt inde queque necessaria, & reuehans in Franciam flores Britanniae: ut non sit tantummodo in Eboraco hortus conclusus, sed etiam in Turonica emisiones Paradisi.* Ex quibus verbis simul manifestum est, falli illos qui Alcuinum Bedæ discipulum profitentur: cum tamen etiam alias Alcuino non audiat Beda quam sacerdotis & doctoris eximii titulo. Egberti vero Auctor anonymus, is qui Anglicanam Bedæ historiam persequutus est, ita meminit: *Hic omnium liberalium artium ut ita dicam armarium, imo sacrum fuit, & nobilissimam Eboraci bibliothecam instituit. Idem auctor, quisquis sit, homo certe non vulgaris doctrinæ & fidei, ab Offa Merciorum Anglorum Rege pacis causa ad Carolum narrat Albinum esse missum, atque inter alia haec scribit: Hic est Albinus, qui ut dixi pro pace ad Carolum directus, & ibi se terra amenitate, seu regis humanitate captus, resedit, magnisque apud eum habitus Imperialem animum (quam ab amicis curis vacabat) Dialectica Rhetorica ut etiam*

Eginh. in
vitâ Caro-
li Magri,

Astronomia composit. Erat enim omnium Anglorum, quos quidem legeris, post beatum Adelmum & Bedam doctissimus. Arnoldus Wion l. V. ligni vite scribit, Albinum vel Alcuinum cognomento Flaccum natione Anglum fuisse, patria Eboracensem, Monachum primum S. Petri Londinensem. Sed nec alius quis temere præter Buchananum notavit Albini prænomen fuisse Joannem. Attamen Joannem aliquem Scotum cum socio Clemente prima jecisse fundamenta Parisiensis scholæ, etiam alii testantur. Nec minus tamen etiam id certum arbitror: quicquid scholæ fuit à Carolo Lutetiae conditum, illud deberi consilio pontificissimum Albini sive Alcuini, utpote cuius hortatu & eas quas supra laudavi scholas constituerit. Vita autem ille

Bardon. ad functus est anno 804: quod ex Odoranno notavit emi-

ann. 804. nentissimus Annalium Ecclesiasticorum conditor Ba-

ronius. Quo iterum refellitur Buchanani narratio,

si Achajus Rex, à quo ille missum scribit Albinum, anno

demum octingentesimo septimo cœperit imperare, quod

nonnulli docent: non item tamen, si Buchanani sequamus

rationes.

Vincent. in Speculo histor. Verum hæc scrupulosius hic differere rædiosum fu-
erit atque inutile. Scribit autem Vincentius Belliacensis:
Alcuinus de Roma Studium Parisios persulit & translulit, quod
fuit illuc translatum à Romanis de Gracia, Hujus auctori-
tate idem & alii narrant. Ut autem profitear sententiam,
cjus viri auctoritas in historia doctorum consensu perle-
vis est; utpote quam sine judicio tractasse res doceat.

Script. vi. in Caroli p. 252. edit. Fran- Nec tamen negaverim, aliquem Roma in magisterium
potuisse accersiri. Imo diserte id narrat Auctor anonymus
vitæ Carolinæ vetustissimus, quem P. Pithœo debe-
mus. *Dominus rex Carolus iterum à Roma artis Grammatica*

&cœm.

& comparatore magistros secum adduxit in Franciam, & ubiq^{ue}
studia literarum expandere iussit. Ante ipsum enim domnum
regem Carolum in Gallia nullum Studium fuerat liberalium ar-
tium. Ita ille. Tantum non extrema tamen barbarie
Romam tum laborasse, luculente docent epistolæ ejus
ævi Pontificum quas edidit Gretzerus. Ne quidem in
Italia tum quempiam mediocriter literatum in supersti-
tibus monumentis reperire est, præter Paulum & Pauli-
num Aquileienses; quorum hunc artis Grammaticæ fuisse
magistrum discere est ex tabulis Caroli Magni quas reci-
tat Baronius ad annum 802, donati fundi Laberiani.

Arnoldus Wion porrò narrat, Alcuinum Lutetiæ Arnold. I.
Parifiorum bonas literas professum, nec multo post à s. cap. 95.
Carolo circa annum 792 gymnasium ibi conditum
esse: Alcuino autem jam defuncto duos monachos ex
Scotia mari trajecto sponte sua advenisse, Clementem al-
terum, alterum Joannem Scotum: qui cum sapientiam
se venalem habere, si mercedis loco victus atque amictus
præberetur, publice clamarent, re ad Carolum delata, qui
impense favebat literarum doctoribus, Clementem qui-
dem Lutetiæ detentum, Joannem vero Scotum missum
Ticinum in Italiam, docendarum literarum gratiâ. Idem
nescio quis alias Annalium Arelatensis antiquus scri-
ptor, apud Middendorpium, narrat: tantum in eo dissen-
tit, quod ante adventum Alcuini contigisse id scribat non
post ejus mortem. Explicatus etiam idem addit: Cle-
menti Carolum nobiles pueros instituendos commisso in adibus
publicis: Joanni vero in monasterio S. Augustini quod Ticinum est
datum locum quo promiscue omnes ascendit grata confluentes ex-
ciperez: Alcuino vero in eundem usum Lutetia concessam Abba-
iam S. Martini, Polydorus Virgilius Offæ Merciorum Pol. I. 4.

Adde epis.
Leonis III.
Papæ à no-
bis editas.

Middend.
I. 6. de Aca-
demia.

regis gesta enarrans sic inter alia loquitur: *Carolum Magnum regem Galliarum missis legatis sibi amicum facere ac suorum simul benevolentiam reconciliare summopere studuit. Traditur unus legatorum fuisse Albinus sive Alchuinus: quo suoſore Carolus duo gymnaſia condidit, prout in vita Aluredi dicetur.*

Polyd. l. 5. vero ibi Polydorus rem hanc omnem prolixius hunc in modum est persequutus: Carolus Magnus Albinum seu Al-

chuinum ab Offa Merciorum rege, uti alibi est expositum, in Galliam missum concilianda amicitiae cauſa, cum videret in homine plurimas esse literas, quamobrem merito ei honor effe habendus, ex legato hospitem fecit suum, ex hospite preeceptorem. Verus Atheniensium, credo, imitatus exemplum, qui Gorgiam à Leontinis publice ad se missum, legationis munere defunctum, Athenis detinuerunt, ejus capti eloquentia. Alchui-

nus itaq; homo Anglus, in Gallia deinde moratus, Lutetia Parisiorum bonas literas profiteri cœpit, eoq; autore non multo pōſt ipſe Carolus in ea urbe primus gymnasium collocavit, & in Italia

Ticini, quæ nunc Papia nuncupatur, alterum. Fuit is annus

salutis nostræ circiter DCC XCII, cum duos ferunt monachos

ex Hybernia, sive ex Scotia ut quibusdam placet, in Galliam de-

latos, se sapientiam venalem habere, magna voce testantes,

mercedis loco cibaria & vestaria duntaxat petiisse: & iſorum

alterum qui Clemens nominabatur, à Carolo Lutetiae retentum,

eig; ex omni ordine civitatis traditos juvenes in disciplinam:

alterum vero in Italianam transisse, ac Ticini docuisse. Nonnemo

id assignat quartuor Bede discipulis, Rabano, Alchuno, Claudio,

& Ioanni Scoto. Sed uincunq; res se habeat, satis constat Anglos

primos Lutetiae bonas artes publice docuisse, quandoquidem Al-

chuinus & Ioannes cognomento Scotus in primis inter Anglos

doctissimi fuerunt. Ceterum quid horum verum quid

falsum, non est meum dicere: rem vetustate dubiam sa-

gius

tius est in medio relinquamus. Vnum est monendum, intolerabili errore à nonnullis Joannem Scotum hunc credi eundem cum Joanne Erigena Scoto, utpote cum is Hincmaro Rhemensi Igomaro Lugdunensi, adeoque & Alphredore regi, aliisque coævus fuerit, jam declinante seculo nono.

Quemadmodum autem non Lutetiæ solùm sed & ^{Vide Hist.}
TICINI, ita & suis in urbibus conditas à Carolo scholas ^{Bononiens.}
cum Bononienses tum Patavini jactitant, sed non tam ^{sem & Pat.}
annalium fide, quam vana fortassis antiquitatis affectatio-
ne. Quo certe ita olim, rudibus adhuc seculis, labo-
ratum est istic, ut Bononienses non dubitaverint fingere
literas Theodosii Imperatoris nomine de Academia Bo-
noniæ instituenda: at tam ineptas & barbaras, ut vel pue-
ro hodie suboleat fraus qui (utile ait) nondum ære lavatur.
Quo magis mirandum est, Bartolum ac Juris Canonici
Glossatorem imo & Middendorpium illis ineptiis passos
esse sibi imponi: quorum illos ut ævivitium, ita quid hung
possit excusare, haud apparent.

AT quæcunque fuerit origo Parisiensis scholæ, id cer-
tum est, à nostra Academiarum forma, isto quidem tem-
pore & illam & Oxoniensem & omnes sive monasteriorum
sive Episcopales scholas, longe absuisse. Nec enim ha-
buerunt tum illæ quidquam præter magistros liberalium
quæ dicuntur artium: etsi conatus forte sit Theologiæ
professionem jungere jam Carolus. In rei Memoriam et-
iamnum Rectorem Parisiensi scholæ semper ex ordine Phi-
losophico præfici, auctor est ipsem et Joannes Filescacus
Theologus Sorbonicus libro quo Origenem Statutorum Facul-
tatis Theologicae Parisiensis descripsit. Rector novus, inquit ille,
quovis anni quadrante eligitur, in festo natalicio, festo annun-
ciationis

citationis Mariae, festo Ioannis & Dionysii. Eligitur autem à procuratoribus quatuor nationum ex Philosophis & Atrium Magistris: quia sub primam institutionem Caroli Magni sola hæc Facultas in usum est recepta. Nulla ergo tum Theologiæ, nulla Artis medicæ, multo minus ulla aut Romani aut Pontificii Juris fuit professio. Porro & Liberalium ipsa illa Artium disciplina arctis literaturæ rudioris limitibus circumsepta fuisse videtur. Trivio videlicet potissimum, ut tum loquabantur h.e. Grammatica Rhetorica & Dialectica. Quadrivium tamen h.e. Arithmeticæ Geometriæ Musicæ & Astronomiæ rudimenta, quadam ex parte accessisse non negaverim: cum Arithmeticæ magistrum à Carolo Roma esse adductum jam supra audierimus: & canendi peritiæ studuisse

Auct. vita
Carol. pag.
250. edit.
Francof.
Eginh. in
vita Caroli

Carolum, cum ex iis quæ Auctor anonymus vitæ Carolinæ curaque Pithœi primum editus narrat de contentione Gallicorum Romanorumque cantorum, & Romanis modulis in Galliam ejus auctoritate post Pipinum adducit: tum hisce Eginharti verbis: *Legendi arg. psallendi disciplinam diligentissime emendavit: erat enim viriusque admodum peritus. Fuisse vero eundem Carolum & reliquarum Quadrivii artium amatorem magnum, idem testatur Eginhartus. Artes, inquit, liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis afficiebat honoribus. In discenda Grammatica Perrum Pisanum diaconum senem audiuit: in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcuvinum item diaconum, de Britannia Saxonici generis hominem, virum undecunque doctissimum praeceptorem habuit: apud quem & Rhetorica & Dialectica, præcipue tamen Astronomia ediscenda plurimum & temporis & laboris impetravit: discebat & artem computandi, & intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimirabatur.* Cum eo autem fuerit animo Carolus, per fane

sane est verosimile illud plane studiorum genus etiam scholæ illius curæ esse demandatum. Verum nullatum in scholis Academicis magistratus in discipulos jurisdictione. Nulla titulorum publica collatio. Nulla graduum (uti loquuntur) distinctio. Nulla denique immunitas auditorum. Quibus omnibus nunc potissimum Academiæ censemur.

Et tamen ne illud quidem Majoris ejusmodi scholæ rudimentum fortassis mansit diu integrum. Lopus sanè Ferrarensis post in Galliâ Abbas ep. i. ad Eginhartum scribit: *à Grammatica ad Rhetoricam & deinceps ordine ad ceteras disciplinas liberales (trivii scilicet & quadrivii) transire hoc tempore fabula est.* Idem probro & vitio tum versum scribit literis operam dare. Audivimus item non multò ante conquerentes Gallicanos Episcopos in synodo Valentina Imperante Lothario, intelligentie scripturarum vix extrema amplius vestigia reporiri. Carolum tamen Calvum ætas isthac ceu magnum eruditio[n]is Mæcenatem coluit. Qua de re memorabilia cumprimis sunt quæ ex Erico monacho scribit Cæsar Baronius ad annum 876: *Quid Hiberniam (inquit ille) memorem? contempno pelagi discrimine pene totam cum grege Philosophorum ad litora nostra migrarem, quorum quo quisque peritior est, ulter sibi indicis exilium, ut Salomonis sapientissimo famuletur ad votum.* Nec profecto negari potest, superfluisse etiam tum, in Gallia cumprimis & Germania, eximia quædam per pauca licet ævi decora. Sed illos Parisiis doctrinæ aliquid accepisse, non videtur. Certe nusquam est traditum. Adhoc omnis omnino sapientiæ, per Galliam sane, breve fuit & illud gaudium. Namque seculi quidem noni ultima ut & decimi initia perpeuis bellis, Normannicis præcipue & civilibus, vehemen-

ter concusſa ſunt. Divitiæ præterea clericorum, & ex hiſ
natal luxuria, pene omne ut virtutis ita & eruditioñis cu-
ram apud clericos pariter plærosque & monachos ex-
tinxerunt.

NON equidem dixerim omnes ſcholas, cum in
collegiis canoniconum tum in monaſteriis, uno tem-
pore concidiſſe, ſublatamque ſubito omnem cum pie-
tatem tum doctrinam. Quæ nonnulli haud dubitant
profiteri. Ut enim GERMANICA duntaxat & quidem
nobis viciniflma tangam, Albertus Stadensis Abbas ad
annum nongentesimum ſexagesimum primum loquitur
in hæc verba: *Hos tempore Brema claruit Eilhardus vir ſpon-
zanea paupertate clarus, Ecclesia præpoſitus, & regula Cano-
niſe acuſtos. Tunc & SCHOLAS ECCLESIAE rexit Tiadhelmuſ,*
Crantz.
Metropol.
L. 3, c. 37.
qui fuerat magni Othrici Magdeburgensis diſcipulus. De Othri-
co ipfem Crantzius cum de Alberto primo Magdebur-
gensi pontifice feciſſet verba: *Successorem habuit Othricum
virum ea tempeſtate doctiſſimum, enjus doctrina fama celebris
auditores etiam illius illuſtravit. Qui enim Othricum meritis
audire præceptorem, aliquid ſibi ſupra cateros accepiffe vide-
barur. Tam celebris fama virum illum ad Archiepifcopatum
ſubvaxis. Fuerat ſcilicet ante etiam ille lector ſcholaſticus
in coenobio Corbejenſi. Idem Crantzius cum narrasset,
Odincarum regii ſanguinis nobilem Danum in Bremeri
ſcholâ ab Adaldo Epifcopo eſſe educatum, ſubjugit:
Quippe apud iſignes eccleſias ab antiquo docti viri foveba-
tur, qui publicas ſcholas ſuſtineſſent, priuquam publica lite-
narum gymnaſia, que nunc multa florente per Christianiſmuſ
erigerenur. Quæ res apud noſtrares pene hofterna eſt. Nam
nulla eſt in Saxonia publica ſchola que centesimum longe ſu-
peret annum. Sed ea tempeſtate, quam nunc explicamus, valuit
etus Eccleſiarum conſuetudo, ab iisque Origene & Clemente,
& pri-*

& primis ecclesia doctoribus traducta. Idem porrò Crantzius de Bennone secundo qui per Henrici IV tempora Osnabrugensi Ecclesiae præfuit: *Qui cum scholis præfuisse apud Ecclesiam Hildesemensem (docebant enim illa etate Scholastici sacras literas, & habebant qui subdocerent in trivialibus)* clarum illi nomen ex doctrina & ex vita religione conciliabat Imperatori Henrico. Scotum quendam scholasticis laboribus Wirzeburgi præfectum, temporibus Henrici V, laudat idem Crantzius in *Saxonia sua*. Tritthemius etiam in *Chronico Hirsaugiensi* Addagenium abbatem Spanheimensem prius scholæ publicæ apud Moguntinos præfuisse, multosque insignes discipulos produxit eodem tempore, testatur. Quid & quod etiamnum seculo duodecimo Paderbornæ studia literarum sub nobili magistro Hermanno floruisse, prodat Helmoldus scriptor *suyorum*: laudetque idem Geroldum Brunsvicensis ludi, (trivialis tamen quantum videtur & quidem ejus qui ad S. Blasii Ecclesiam est,) gubernatorem? Post Helmoldum repetit Metrosp.
1.6, cap. 11. idem Crantzius, memorans Vicelinum primum Lybencensem Episcopum, adhuc juvenem à sacerdote quodam interrogatum, legeritne Statuum in Achilleide? proposuisse (inquit Crantzius) versum illius Poëta, quem cum expedire non posset Vecilinus erubuit; abiitq. Paderburnam & ibi sub Hermanno, docente apud Ecclesiam, vigilantiis literis incubuit. Pro monasteriis porro loquuntur itidem scripta monachorum, qui à seculo nonovixerunt ad seculum usque tertium decimum. Quæ profecto neque pauca neque inepta sunt. Vbi autem monachi illi doctrina imbuti nisi in suis scholis monasticis?

Quin tamen & raræ fuerint ea etate scholæ istæ omnies, & à doctrina non multum instructæ, nullum dubium habet,

habet. Quis enim dixerit, saltim à Canonicis illis scholas multum curatas, omni vita canonica exuta? Nempe qui ex prisco instituto vivendi ratione nihilo à monachis fere differebant; viventes sc. in uno clauistro, habentesque commune dormitorium, refectorium, lectorium & similia; claustris repagulis solutis, regulaque consultata, tantum abfuere non multò pōst à Canonicae vitæ observantia, ut tandem nec erubuerint Seculares semetipos appellare Canonicos, quasi tu dixeris Canonicos non canonicos. Eo autem est factum, uti & hodie maneant quidem prisco-

Middend.
l. 5. de Acta.
demiss.

rum officiorum tituli, sine re tamen atque inanes. Auctor

est Middendorpius, in plārisque Canonicorum collegiis die dominico sacerdotem ē regione scholæ stantem sic hodieque precari: *Benedicere digneris Domine hoc scriptorium famulorum tuorum, & omnes habitantes in eo, ut quicquid divinis scripturis ab iis lectum vel scriptum fuerit, o perficiant, per Christum Dominum nostrum, Amen.* Vrget justa indignatio recitare hic verba nonnulla Alberti Crantzii scriptoris Saxoniarum rerum luculentissimi, simulque prudentia & pietate eximii viri, qui & ipse collegio Canonicorum quod est Hamburgi Decanus præfuit. Iste, ait, *Archiepiscopus*, loquens de Vnwano Bremensi, ætate Henrici II Cæsaris, primus omnium congregaciones apud ecclesias cathedrales aliasq; ad Canonicam perduxit regulam: que antea quidem mixta ex monachis & canoniciis, utraque conversatione turbata, degebat non vigebat. Qua occasione Fratres licentius de clauistro egressi, mulierum consortiis primo pezebant absconsè, inde in maiorem dissolucionem abierunt. Paulatim ergo defervescente in clero religione, apud ecclesias ex monachis Regulares Canonici, & ex his Seculares, nemus vocantur, canonici prodierunt. Quid autem ex hac deinceps

Crantz.
Metropol.
l. 4. c. 1.

incepit resolutione sit oriturum, quis novit? Interpretemur ora, vocabulum. Si canou est regula, Canonicis sunt regulares. Quid fieri de Canonico Seculari, nisi ut regularis sit irregularis? aut, si id malumus, regularis sine regula? Erat is devotionis fervor sub sanctis patribus, ut inter Fratres ipsorum Pontifices vicitarent, quod de hujus proximo legimus successore Libentio. Iam ventum est ad Regulares, ut Canonicis dicerentur & essent: utinamque ibi perdurasset. Inferior inventus est gradus Canonicus Secularis: b.e. monstrum sine exemplo, Regularis sine regula, Canonicus sine canone. In similia verba erumpit vir opti-
mus etiam alibi. Metropol. 18. cap. 5.^o

Sed quo primum tempore claustrum ruperint Canonicis, non perinde certo videtur definiri posse, quoniam id ipsum non sit uno ab omnibus momento factum. In Germania initium pessimi facinoris a Trevirensibus coepisse, Ottone III imperante, auctor est Trithemius in *Chronico Hirsaugiensis*. Argentinenses tamen tardius id imitatos, ac non nisi sub Henrico IV circiter, cum per dissensiones inter Imperatorem & Pontifices exortas, jus & fas omne perruptum, & ad cujusque libidinem & arbitrium pleraque translata, scribit vir doctissimus Christophorus Guilliman. Guillim. Hift. Argent. Episc. Staden sis, de Canonicis Bremensis. Scribit autem Adamus Conradus quidem in vita Bezelini Albertus vero ad annum 1042 in haec verba: *Anno Archiepiscopi (is erat Bezelinus) penulti-*
mo domus S. Petri Bremae conflagravit: ejusq; flamma incendii
claustrum cum officinis, urbem cum edificiis omnibus consumpsit.
Veterisq; habizaculi nullum remansit vestigium. Ibi sacri thesanarii
Ecclesiae, ibi libri & uestes, ibi omnia ornamenta consumpta sunt.
Ex illo tempore fratribus, qui ante canonice vixerant, exra-

claustrum vagantibus, Regula sanctorum patrum per multa prius
secula studiosè conservata, primo negligentius haberi cœpit, deo-
nde funditus abjecta consenuit. Annales quoque Hildes-
heimenses eodem plane anno 1042 & Hildesiaæ claustrum
incendio periisse narrant, Azelino Episcopo: eaque occa-
sione & ibi tum vivendi canonica instituta corruisse. Ve-
reor tamen ne quis error in hos annales ex Bremensibus
irrepererit. De Bernardo Paderbornensi, qui vixit ætate
Friderici II Cæsaris, verba faciens Crantzius: *Sub hoc,*
Crantz. *Metropol.* *l. 7, c. 5.* *inquit, Pontifice in Ecclesia Paderburnensi adhuc observantia*
Regularis inter Canonicos viguit: & sub eo commutatio facta vi-
deatur de Regulari observantia ad statum Canonicorum Secularium.
Paulo post: Idem arbitror factum per ceteras ecclesiias. Sed
Premonstratenses, præterquam in Magdeburg, suam regulam re-
nuerunt in Havelberga Brandenburg & plurisq. aliis. Mitte-
nunc aliarum Ecclesiarum Canonicos: utpote quum illa
circiter ætate passim terrarum à priscis moribus Canoni-
cos abiisse, penè sit notum.

Decret. p. *R. caus. 12.* *Certè operam lusit bonus Gratianus, Decreto suo in-*
q. i. cap. 3. *serens illam ex seculo IX Eugenii secundi & Leonis IV*
Papæ constitutionem factam in Synodis Romanis: Ne-
cessariares exigit, ut juxta ecclesiam claustra constituanteur, in
quibus clerici disciplinis Ecclesiasticis vacarent. Itaq; omnibus su-
num si refectorium ac dormitorium seu cetera disciplina ad usus
clericorum necessariae. Similiter non possumus quidem non
Vide l. 5. *laudare Concilii Lateranensis, ut & Innocentii III Papæ,*
Decret. *tit.* *itidem in Concilio generali latum decretum, non minus*
atque aliud ejusdem notæ Honorii III, quæ bono sanc-
confilio Raimundus de Pegna forti l. quinto 11. V. Decre-
tum inseruit, & auctoritate sua roboravit Gregorius
bonus Papa seculo tertio decimo. Attamen ne ita quidem
effectum

effectum aliquid est quod merito laudes: rem ipsam non
qua par erat severitate urgentibus Papis, & Episcopis Ca-
nonicisq; in alia plane imò aliena intentis. Fortassis tamen
non abs re fuerit illa hic recitasse, saltim ut appareat, quæ-
nam utilitas publica & vis honesti illis etiam temporib;
bus expresserit. Concilii itaque Lateranensis canon hic
est: *Quoniam ecclesia Dei, sicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi & proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamq; Cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos ejusdem & scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur. Pro licentia vero docendi nullus preцium exigat, vel sub obrienis aliquis consuetudinis, ab eis qui docent, aliquid querat; nec docere quenquam (qui sit idoneus) perita licentia illis interdicatur. Qui autem contra hoc venire præsumperit, ab ecclesiastico fias beneficio alienus. Dignum quippe videretur, ut in ecclesia fructum sui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi liceniam, ecclesiasticum profectum nimirum impedit. Vnde obiter colligere est, isthuc xvo non tantum scholam Episcopalem nullam impensis communibus esse habitam, sed ne quidem admissum qui doceret nisi soluto pretio. Sed & Innocentius III in Concilio generali ita pro-nunciavit. Quia nonnullis propter inopiam & legendi stu-
dium & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi concilio pia fuit constituzione provisum, ut per unamquamq; ca-
thedralem ecclesiam magistro, qui gratis ejusdem instrueret ec-
clesi & clericos aliosq; scholares pauperes, aliquod competens bene-
ficium præberetur, quo & docentis relevaretur necessitas, & iter
pateret discitibus ad doctrinam. Verum quoniam in multis
ecclesiis id minime observatur, nos predictum roborantes statu-
rum adiicimus, & non solum in qualibet Cathedrali ecclesia,*
sed

sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituantur magister idoneus, à Prelato cum Capitulo, seu majori ac saniori parte Capituli, eligendus, qui clericos ecclesiarum ipsarum gratia in Grammatica facultate & alios instruat juxta posse. Sane Metropolis ecclesia & theologum nihilominus habeat qui sacerdotes & alios in sacra pagina doceat, & in his præsertim informet, quae ad curam animarum spectare noscantur. Adsignetur autem cuique magistrorum à Capitulo prius præbenda proventus, & pro Theologo à Metropolitano tantundem, non quod propter hoc efficiatur Canonicus, sed tamdiu reditus ipsos percipiat, quamdiu persistenter in docendo. Quod si force de duobus Ecclesia Metropolis graveatur, Theologo juxtamodum prædictum ipsa prædeat, Grammatico vero in alia ecclesia sua civitatis, sive diœcesis, quæ sufficere valeat, faciat provideri. Hæc Innocentius. Quibus præter alia discimus etiam, non cuidam Canonorum docendi munus tum fuisse ut ante impositum, sed alii alicui, & mercede quidem sic satis exigua. Verum præstat & Honorium audiamus. Super specula &c. volumus, & mandamus, ut statuum in Concilio generali de magistris Theologis per singulas Metropolis statuendis inviolabiter observetur. Studentes ut, quia super hoc propter raritatem magistrorum se possente forsitan aliqui excusare, ab Ecclesiastum Prelatis & Capitulis ad Theologicæ professionis studium aliqui docibiles destinentur. Qui cum doctifuerint, in Dei ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti: ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri ad justitiam valeant plurimos erudire: quibus si propriæ proventus Ecclesiastici non sufficiunt, prædicti necessaria subministrent. Docentes vero in Theologica facultate, dum in scholis docuerint, & studentes in ipsa, integre per annos quinq; percipiante de licentia Sedis Apostolice proventui præbendarum & beneficiorum suorum,

1890

non obstante aliqua contraria consuetudine vel statuto, cum denario fraudare non debeant in vinea Domini operantes. Hæc illi. Nos nihil addimus, quoniam latius hæc persequi non est propositi nostri. Tum vero jam ante satis ostensum est, cum Episcopatum tum monasticarum scholarum ejusmodi mores nostris Academicis institutis, quæ nunc illustrare nobis est consilium, valde fuisse dissimiles. Sufficit hic annotasse, omnes istas scholas post annum millesimum senfim ubique terrarum defecisse; in otium & luxuriam prolapsis cum monachis tum canonicis. Et vero ne in coenobiis quidem scholæ priscæ posthac restitutæ sunt in integrum: quamvis in illam laudem succederint seculo decimo tertio Mendicantium novi ordines.

Ad TERTIUM igitur illud & Academicum scholarum genus revertendum nobis est. Ac de Ticinensi quidem, quam & ipsam Carolus creditur condidisse, nihil quod ad illam pertineat ætatem, memoratum invenio. In PARISIENSI schola primis temporibus liberales solum artes doceri solitas, ante audivimus. Illis accessit deinde Theologica professio. Quod tamen quo tempore primum, aut quo Rege, factum sit nemo dixerit facile: ipsi Parisienses ignotum id sibi confitentur. Joannes Filescus Doctor Sorbonicus, qui non ita pridem diligentissime statuta Parisiensis Theologicæ Facultatis singulare libro est persequutus, originem rei sibi incomptam, non diffitetur. Alibi scribit in hæc verba: *Peregrina fuerunt (fateor) ejuscemodi initia, sed ubi ad Capetiorum gentem Gallicum imperium pervenit, & Academia & Facultas Theologica planè ex ephibus excessit: Philippo Augusto rege erata remorissimas gentes in sui amorem & admirationem pellexit. Atqui ad Capetanos demum respublica Galli-*

M

cana

Filesc. libro.
de orig. stat.
tutor. Fac.
Theol.

cana seculo decimo devenit: Philippus Augustus autem terum per Galliam est potitus ab anno 1180 usque ad annum 1223. Sane circa illa seculi duodecimi ac tertii decimi confinia, Lutetiam Parisiorum ex omnibus pene Europæ regionibus innumeros discendi caussa confluxisse, certissimum est. Videatur duntaxat *caput septimum Historia Occidentalis* Jacobi de Vitriaco, quo ille de dissidiis studiosorum Parisiensium, malisque & horum & magistrorum moribus conqueritur. At vero etiam ante illam Philippi Augusti ætatem, integro seculo duodecimo, Parisensem scholam studiis fuisse florentissimam, facile ostensu est, ex laude eorum qui tum & Philosophiam &

Filef. lib. Theologiam sunt professi. Recte enim Filescus: *Qualis fuerit Theologica facultas sub Ludovico Philippi Augusti patre, ex iis qui cum erant clarissimis Theologis perspicuum est.* Agmen ducit Anselmus Landunensis, quem sibi praeceptorem fuisse in Theologia testatur Petrus Abalardus epistola prima. Hunc successit Guilielmus Campellensis. Docuit & ipse ibi Abalardus. Gilbertus quoque Porretanus magister Theologicae scolæ Parisis aliquando fuit, teste Henrico Gandavensi. Petrus Lombardus alias Novariensis Petri Abalardi discipulus, qui non paucis demptis nævis ex theologicis tractatibus præceptoris sui Abalardi munatus est, itidem Theologicae scolæ Parisis præfuit, teste codem Henrico Gandavensi. Quanquam verò usque adeo floruerint res studiorum sacrorum Parisis jam tum illa ætate, non dubitavit tamen idem Filescus in hæc verba scribere:

Filef. l.cit. Philippe Augusto rege, nulla aut paucæ leges, ut nec solennes risue & formulae ad curriculum Theologicum emittendum, vel Doctoralem lauream adipiscendam. Sed ut ego arbitror, prout quisque in rerum Theologicarum cognitione sub Theologis qui public-

publicas habebant scholas, profecisser, communi velut auditorum consensu, ad libros Veteris aut Novi Testamenti exponendos sese accingebat: quod ex Petri Abalardi epistola prima colligi potest. Idem non multo post ita loquitur: Ea vero ^{Idem lib.}
^{cit p. 22.} isto aeo (Philippi scilicet Augusti regis) cura primo fuit ius qui Magistri & Doctores haberi vellere, Sacram Scripturam interpretari: non quod ex ingenio aliquos de rebus Theologicis tractatus non interfererent: ut de Abalardo & ceteris supra visum est. Item: Cum scoli quidam & qui vix theologiam degustasse, illud publicum docendi munus alio sibi arrogarent, doctorum melioris nota qui cum erant judicio, Ordo ille Theologicus formam legitima societas sum primum habere cœpit. Hinc leges nonnullæ scriptæ ab ipsis, & quidem ante annum trecentissimum supra millesimum: quod ex usq; codice MSS. nostrarum legum sum antiquiore cum recensore firmari potest. Hæc Fileſacus. Quibus si fides adhibenda est, / non possumus autem non adhibere.) igitur seculo demum tertiodécimo circiter Collegium Theologicum Decano constituto coxit Parisiis: tum demum, à Theologis quidem, & Gradus Magistrales aut Doctorales cœperunt conferri: primum quoque tum Examina atque Tentamina varia sunt instituta. Vno verbo: isthoc primum seculo cœpit Litteræ condi aliquid in modum nostræ quam nuncupamus Theologicæ Facultatis. Si autem ibi tum primum illa cœpit, alibi ante non cœperit, in Europa quidem. Nam ea quidem ætate nulla alia celebrior schola Theologica, imo vix illa alia uspiam extitit.

Theologicam Scholam Philosophica Artiumque, Parisiis quidem, antiquitate superat: nullo tamen indicio probaveris, in nostrum Academicum morem etiam hanc formatam esse ante seculum tertiumdecimum. Constat

M 2

autem

autem, jā in seculo etiam priore solito subtilius philoso-
phari Parisiis cœptum, per Petrum Abælardū, Gilbertum
Porretanum & alios. Quorum disciplina cùm fuisse usus

Vide l. 1.
Chron. Or-
tonis Fri-
agensis. summa nobilitatis vir Otto Fisingensis Episcopus, primus
(quod euidem sciam) Germanorum noviter tunc institu-
tæ Philosophiæ monumentum aliquod posteritati reli-
quit. Porro Civilis & Canonici Juris Studia vix ante secu-
lum decimum tertium Parisiis fortassis agitata sunt. Et ve-
ro Juris quidem disciplina ne potuit quidem multo ante
ibi exerceri, quoniam Irnerio demum & Gratiano ipsa-
met Bononia renovationis suæ originem debet.

Non etiam qui Medicinam ibi antehac doceuerit quis.
quam veterum memoratur. Ipse ille qui in epitaphio audit

Vide Gab.
Naud. de obiitq;
Antiq.
schol med.
Parisinae. Physicus excellens Hugo, pietate refulgens;
anno millesimo bis centum sed minus uno
laudem nullam invenit à magisterio Artis, sed duntaxat
ab eo quod

Pag. 33. Parisiis mortem non sustulit (h.e. non passus est) esse minacem,
& Quadrivium docuit.

Vt proinde Artem ipsam Medicam non docuerit Obizo,
sed duntaxat fecerit illam Parisiis. Saltim num docue-
rit incertum est. Ægidium Corboliensem, cuius de Vri-
nis & Pulsibus poëmatia haud inconcinnia etiamnum su-
perant, & æratibus aliquot magno in pretio fuere, Artem
Parisiis docuisse per est verosimile; sed illius vita in ter-
tium decimum usque seculum excurrit. Circa cuius

Rigord. in initia quatuor, quas appellamus hodie Facultates, Par-
isinae. siis jam floruisse, vetat nos dubitare Rigordi ejus temporis
chronographi Parisiensis testimoniū: ut qui ad annum
millesimum ducentesimum nonum disertis verbis anno.
taverit, non solum de Trivio & Quadrivio, verum & de que-
stionibus Juris Civilis & Canonici, & de ea Facultate que de sa-
nandis

mandis corporibus & sanitatibus conservandis scripta est, plenam & perfectam doctrinam inveniri. De Theologica schola extra controversiam est. Tum etiam temporis honores Magisterii solennes in Medico pariter & Philosophico ordine conferri Parisis cœpisse, manifestum est ex Bulla Gregorii Noni Papæ, quam ille Parisiensibus anno istius tertii decimi seculi trigesimo primo concessit. Verba Bullæ, qualia Gabriel Naudæus, ille Parisini *Flos delibutus populi, suadæque medulla, elegantissimæ de Antiquitate scholæ Medicæ Parisiensis dissertationi inseruit, hæc sunt: De Physicis anem & Artificis Cancellarius promittere, bona fide examinare Magistros, & non nisi dignos admissens repellet indignos.*

Naud. lib.
cit. pag. 18.

Isthac vero ætate haud temere reperias ullam, quæ jam tum quatuor Facultatibus istis fuerit instructa, præter unam hanc Parisensem. Vuproinde videatur merito pronunciari posse, seculo degum tertio decimo Academias nostras originem suam debere, & inter omnes, antiquitate antecellere Parisensem. Meretur tamen observari: per Honorium III Papam, circa annum seculi illius vicesimum, Civilis Juris disciplinam Parisis lege publica esse vetitam. Firmiter interdicimus & districtius Cap. super Specula inhibemus, inquit, ne Parisis vel in civitatibus seu alii locis tit. de pri- vicinis quisquam docere vel audire Jus Civile presumat. Et qui vileg. contrafecerit, non solum à causarum patrocinio excludatur, ve- rumeriam per Episcopum loci excommunicacionis vinculo inno- detur. Adeò levero igitur edicto decepsisse iterum non-nihil studiis Parisiensibus, quo minus nostro more fue- rint perfecta, fatendum videtur.

Cæterum primâ Academiarum origine jam detecta, possumus forte non injuria quiescere. Ne quid tamen in nobis desideretur, addemus nonnihil & de BO-

M 3 NONIEN-

NONIENSI & de Salernitana schola, quæ Italicarum omnium sunt vetustissimæ. Sane multum lucis hæc narratio dabit iis quæ jam tum attulimus.

Ac Bononiæ quidem primò omnium videtur Schola quædam fuisse liberalium Artium : saltim literatoria quædam. Ferunt enim Irnerium Ravenna, ubi attes illas profitebatur, Bononiam eodem fine evocatum, ibique super vera significatione vocis *As* cum aliis magistris contentione ipfi nata, tractum ita demum ad Romani Juris disciplinam. Cardinalis certè Hostiensis initio seculi tertii decimi scripsit : *As, id est duodecim unciae. As etiam quandoq[ue] ponitur pro obolo : propter quod verbum venit Bononiam Studium Civile, sicut audiui à Domino meo. Dominus autem ille est Azo, Lucerna Juris suo ævo habitus appellatusque. Hujusmodi scholæ originem à Theodosio Cæsare vulgo accessi inepte fidet quadam tabula, jam ante diximus. Cæterum Jus Civile Romanum primus ibi docere coepit Irnerius : ceu omnium consensu vulgo traditur. Quod ramen passim itidem creditur, ita institutum esse à Lothario Cæsare, id à vero esse alienum alias fortassis prolixius demonstrabimus. Id certum est, Juris Civilis Romani disciplinam, ipso jam tum seculo duodecimo, Bononiæ magnō auditorum concursu publica ex cathedra docuisse, non Irnerium duntaxat, sed & Jacobum de Porta Ravegnana, Jacobum Balduinum & Azonem : ne quid dicam de Bulgaro, Martino Gosio, Hugone de Porta Ravegnana & aliis, qui tum itidem stipendio publico Bononensem docuerunt. Eodem vero tempore & Jus Pontificium, non tantum per Gratianum monachum anno 1151 in cœnobio Felicis & Naboris conscribi isthac in urbe coepit, sed cathedram quoque & doctores statim restnactum, jam tum Eugenio*

*Host. c. i.
extr. de
Testam.
a. s.*

*Vide lib.
de Origine
Iur. Germ.
cap. 21.*

DISSERTATIO III.

93

genio Pontifice, non minore discentium applausu si non ^{Auct. vi-}
 majore. Ea sane Vtrumque Jus audientium fuit frequen^{ta} ^{ta} Gratia
 tia, ut Fridericus primus Cæsar, in publicis regni Italici ^{Vide Auth.}
 comitiis, ex consilio omnium Ordinum, regiminis scho- ^{Habita Co-}
 lastici novam formam instituere sit adducetus. Decem ^{ne fil. pro}
 millia studiosorum jam ætate Azonis Bononiæ vixisse, te-
 stis locupletissimus est ipsemet Odofredus,

Quemadmodum habuerit sese ibi tum temporis Philo-
 sophiæ atque Artium quas appellant disciplina, non per-
 inde constat, Illa tamen fuit in existimatione, ut Fridericus
 II Cæsar, circa annum seculi tertii decimivicesimum, sua
 cura & sumptu libros Aristotelis aliorumque Philosopho-
 rum de Græco partim partim de Arabico Latine versos,
 huic uni Bononiensi Philosophicæ Scholæ obtulerit &
 quasi consecraverit. Integra epistola Cæsaris reperitur in
 opere epistolico Petri de Vineis, Cæsarei tum Cancellarii, ^{Petr. de}
 ad exemplum Variarum Cassiodori, quantum conicere ^{Vin. l. 3.}
 est, in unum collecto. Ejus illam partem quæ ^{epist. 69.} huc maxime
 facit, non possumus non recitare. Post regni vero nostri
 curas assumpias, quamquam operosa frequenter negotiorum
 turba nos distrahas, & civilis sibiratio vendicet solitudinis
 nostræ partes, quidquid tamen temporis de rerum familiarium
 occupazione decerpimus eransire non patimur oriosum: sed
 totum in lectionis exercitatione gratuita libenter expendimus,
 ut animæ clarius vigeat instrumentum in acquisitione sci-
 entie, sine qua mortalium vita non regiatur liberaliter. Dums
 librorum ergo volumina, quorum multifarie multisq; modis de-
 fincta chirographa nostrarum armaria divitarum locupletant,
 sedula meditatione revolvimus, & accurata contemplatione
 pensamus: compilationes variae ab Aristotele aliisq; Philosophis,
 sub Græcis Arabicisq; vocabulis antiquitus editæ, in Seruocina-
 libris

libus & Mathematicis disciplinis, nostris aliquando sensibus occurserunt: quas adhuc originalium dictiōnum ordinatione conservas, & veristarum vestrum, quas eis etas prima concesseras, operimento contextas, vel hominis defectus aut operis ad Lazarinę lingue notitiam non perdixit. Volentes igitur, ut veneranda tantorum operum simul autoritas apud nos, non absq; commodis communibus, vocis organo traduce innoescat: ea per viros doctos, & in variisq; lingua prolatione peritos, instanter iustimus, verborum fideliter servata virginitate, transferri. Quia vero Scientiarum generosa possessio in plures dispersa non deperit, & distributa per partes minorationis detrimenta non sensari sed eo diuturnius perpetuag; senescit, quo publicata facundius se diffundit: hujusmodi celare laboris emolumenia noluimus, nec estimavimus nos eadem retinere jucundum, nisi ratis boni nobiscum alios participes faceremus. Considerantes verumtamen, quorum conspectibus, quorumq; judiciis operis capri primaria possent decentius deputari: ecce vobis portissime velut Philosophiae praeclaris alumnis, de quorum pectoribus promissaria plena fluunt, libros aliquos, quos curiosum studium translatorum lingua non potuit fidelius instruere, consulte providimus presentandos vel destinandos. Vos igitur viri, qui de cisternis veteribus aquas novas prudenter educitis, qui fluenta melliflua scientibus labiis propinatis, libros ipsos, vanquam xenium amici Casaris, gratauerit accipite: & ipsos antiquis Philosophorum operibus, qui vocis vestra ministeriis reviviscunt, quorumq; nurris famam dum dogmata sternitis sapienter, ut expedit aggregantes, eos in auditorio vestro, (in quo gratia virium fructificat, erroris rubigo consumitur, & latentis scriptura varietas speratur) cum uittentis favore commoniti, euangelicas transmissionis operis meritis persuasi, ad communem utilitatem studiorum, & evidentiis fama nostra praconium, publicetis.

Hec

Hæc omnia Cæsar Fridericus. Quæ, quamvis prolixiora non nihil, adduximus eo libentius, quod simul doceant beneficio literati Cæsaris illius debere seculum istud resuscitata Philosophiæ omnis studia. Hactenus nimirum Aristotelis aliorumque scripta Philosophica & Mathematica longè paucissima viderat Latinus orbis: ast ex eo multo plura, cum primis de Arabico versa, in scholas translata sunt. Quo effectum, ut bonæ artes novam plane & hactenus insolitam faciem acceperint: involantibus quasi in recenter versos illos libros cum aliis tum præcipue Dominici & Francisci sacris agminibus.

Vt autem quasi in viam ex diverticulo redeamus, ante seculum tertium decimum fortasse nec Medica ars Bononiæ doctores invenit. Certe qui scriptis antehac ibi imclaruerit, nemo memoratur. Verùm illo tamen ipso seculo Artem hanc, magno auditorum concursu, ibi docuerunt Thaddæus Florentinus, Petrus Apennensis, Gentilis Fulginas, & nisi fallor Turrisanus sive Drusianus; celeberrimi nominis magistri, quiq[ue] æternis scriptis simul Artem illustraverunt, adjuti etiam ipsi paucis quidem Hippocratis & Galeni libris, compluribus tamen Arabum Medicorum Philosophorumque monumentis, quæ universa tum primum fuerunt Latine versa.

Etsi autem usque adeo floruerit tunc Bononiensis Vide Si- Schola, Theologiæ tamen Professoribus fuit destituta gon. l. 54 usque in annum 1362, quando Innocentius id nominis histor. Be- sextus Papa Theologiæ docendæ licentiam eximii munieris vice indulxit. Quo apparet, quam serò perfectionem suam nacta sit ipsa illa omnium celeberrima Schola, & quæ cum numero Professorum tum opulentissima dote (numerat enim subinde, & numeravit ante hos decem annos, Professores centum viginti sex, & in his Vtriusq[ue] Docto-

N res

Middend.
b. 4

res Juris quadraginta novem: ferturque à Senatu Bononiensi quotannis in Professorum salario quadraginta prope coronatorum millia expendi) ut alia nunc taceam, nulli hodie temere est secunda, Germanicas autem omnes longo superat intervallo.

Sed de Bononiensi Schola satis fortasse diximus. Certe ut plura adferamus non patitur propositum. **S A L E R N I T A N A** vetustate quidem Bononiensi non cedit, imò fortassis eam superat, splendore vero & institutis docendi eam plurimis sequitur passibus, minime omnium assequitur. In vicino urbi illi cœnobio Cassinensi à S. Benedicto usque scholam habitam monasticam, verisimile quidem est vel ex iis quæ ante diximus in universum de id generis phrontisteriis; viris tamen doctis, perinde ut Fuldam & Corbejam nostram, claruisse illum locum, utut opulentissimum, haud temere probaveris. Seculo autem undecimo habuit Constantinum hominem Afrum: quem post triginta novem annos studiorum gratia peregrinationibus per Asiam universam, sub Muhammedanorum imperio doctrinæ omni genere florentem, exactos, patria profugum Salerni primò inde inter monachos cœnobii, exceptum ferunt. Et sanè ille Desiderio Abbatis suo, qui post Victor III Papafuit, circa annum sexagesimum post millesimum, haud pauca Medicis argumenti ex Arabico Latine versa, (utut hoc plerumque dissimulet, sibi arrogans ea quæ Isaaci Aben Amram Iudæi aliorumque esse clarissimum fit, si utriusque scripta contenderis) dedicavit. At vero jam tum in ipso Salerni opido scholam aliquam sive Medicam sive aliam fuisse institutam, nullum indicium nobis superest. Occasione tamen operum Medicorum à Con-

Atnold.
Wien. I.
1. ligni vi.
126, 98.

Constantino editorum, per est verosimile, excitata ibi potissimum Artis studia. Etenim viderat quidem hactenus Latinus orbis libros aliquot Medicos partim Latine exaratos, partim ex Græco in eandem linguam translatos, per paucos tamen eosque non magni pretii. Cujusmodi maximè scriptis sua ætate fuerit instructa Italia, colligere est ex sermone Cassiodori, quo Monachos suos ad divinas humanasque lectiones manuducit.

Caff. I. die
vinat. leg.
atior.

Quod si vobis non fuerit, inquit, Gracarum literarum nostra facundia, in primis habetis Herbarium Dioscoridis, qui herbas agrorum mirabili proprietate differunt atq; depinxit. Post haec legit Hippocratem atque Galenum Latina lingua conversos, i.e. Therapeutica Galeni ad Philosophum Glauconem destinata, & Anonymum quandam, qui ex diversis auctoribus probatur esse collectus; deinde Cœlij Aurely de medicina, & Hippocratic de herbis & caris, diversosq; alios de medendi arte compositos; quos vobis in Bibliothecæ nostra sinibus reconditos Deo auxiliante dereliqui. Hæc Cassiodorus in opere illo: quod hactenus misere per particulas disjectum in lucem prodidit, facile tamen restitui in integrum poterit, & restitui summo jure promeretur. Cum nemo itaque pene Latinorum Græcam linguam intelligeret, & Latine scripti libri Medici non nisi rarissimi invenirentur, hactenus quidem Medicæ artis studia ex dignitate coli haud potuerunt. At post Constantini operam facilius id effectu fuit, præsertim eo loci ubi scripta ipsius omnium commodissimè haberentur. Tum demum itaque, & hac quam diximus occasione, nata Salerni videtur schola quædam Medica. Sane cœpisse jam illam circa annum millesimum centesimum, haud injuria forte dixeris, attendens, Vide Contra fit, Siciliæ

fit, Siciliæ

Ita. tit. 34. rex & Salerni Princeps, rem medicam facere jussérit.
leg. 1. Seculo certe duodecimo Schola isthæc celeberrimæ fuit famæ, imo in occidentali hoc orbe unicæ. Sub finem ejus enim communis Scholæ istius magistrorum consilio, scriptus est libellus ille poëticus de *Conservanda valetudine*, in gratiam Roberti Normanniae ducis, qui tamen, quod sibi regiam Angliæ dignitatem vindicaret contra Guilielmum Rufum fratrem, Anglorum rex audivit. Eodem tempore circiter Ægidius Corboliensis in opere, quod in Parisiensium gratiam de *Compositorum medicamentorum viris* itidem versibus lusit, gravi censura in Salernitanos animadvertebat, quod nullo facto discrimine, qui buslibet ad rem medicam admissis, concederent

Vide
Naud. de
Antiquit.
Schol. med.
Paris. p. 22.

Nondum maturas Medicorum surgere plantas,

Impuberis pueros Hipocratice tradere jura,

Atq; Machaonias sancire & fundere leges:

Doctrina quibus esse opus feruleq; flagello,

Et pendere magis vetuli doctoris ab ore,

Quam sibi non dignas cathedra presumere landes.

Paulò post conditæ sunt à Friderico II Cæsare præclaræ illæ leges de re Medica universa, quæ liquidò ostendunt, præter reliquas Medicinæ partes etiam illam quæ manu medetur Salerni magistros suos accepisse: nec rem Anatomicam fuisse neglectam: Artem vero omnem ex Hip-

Vide Ren. pocraticis usque fontibus petitam esse. Et verò ornave-
Morzi runt Scholam hanc Joannes Platearius, cuius est liber *Cir-*
proleg. in *ca instans vulgò dictus*, Joannes de Mediolano præcipuus
Schol. Sal. auctor libri de *Conservanda valetudine*, Saladinus de Escu-
lo, Joannes de S. Paulo, Guilielmus Placentinus, Hiero-
nymus Balduinus, Benevenutus Graphæus de Jerusalem,
Franciscus Alphanus, Rogerius, Joannes & Gualtherus

Saler-

Salernitani. Quatuor magistrorum in chirurgia Salernitanorum libros Oxoniæ reperiri, memorant bibliothecarum scriptores. Ejusdem scholæ videtur & Warmipotus fuisse, qui vulgo Gariopontus audit. Simon quoque Januensis inde fortassis prodiit, qui tamen Nicolai IV Papæ egit archiatrum. Nicolaum, cuius Antidotaria celebri olim fama in Usu Medicis fuerunt, isthuc pertinere, certius est.

Iames. II.
Ecloga
Oxon.

Non possum hic omittere quæ de Nicolao illo omnique Salernitana Schola memoravit Christophorus de Honestis Florentinus, quem circa annum Christi 1380 vixisse, colligas ex eo, quod Thomam de Garbo passim laudet magistrum suum. Intelligendum est, ait ille, quod *Nicolaus Honestus*, (qui etiam duo Aromataria composuit utili sermone, que ambo communiter habemus in usu) fuit Medicus diu exercitatus in Practica, & in Naturali ingenio, natione Salernitanus, plenus divitias & ex nobili sanguine procreatus. Fuit autem temporibus suis primus. Et non est longum tempus elapsum, cum in dicta civitate Salerni, digna ac clamosa fama per orbem, vigebat fons scientiae, & maxime Practica medicina. Ibi enim florebat Studium principaliter, sequendo sententiam Galeni tanquam principis medicorum, ejus libros legendo & utiliter declarando, licet hodie fugiantur. Hæc Honestus, & recte quidem. Ex quo enim Arribum libri in Latinum orbem transiere, parùm attento Hippocrate & Galeno, in scholas Avicenna, Rasis, Mesue, & Serapion penetraverunt: nec Hippocratis aut Galeni libri vulgo in manibus relieti, præter paucos quos Articella dicit comprehendit.

Licet autem fortassis etiam hic recitare, quas modo laudavimus Friderici Cæsaris leges, ut eo rectius Scholæ illius Medicæ dignitas fiat conspicua, et si earum magnam partem jam ante aliquando hoc in loco adduxerimus. Vi-

Vide Con-
stit. Sicut
lar. 1. 3.
tit. 34.

N 3 detur

detur sane & panegyris hæc ipsa Medica exigere jure quodam suo, ut publica voce recitentur leges illæ, quæ de Arte facienda & docenda omnium hodie sunt antiquissimæ. Prima itaque lex hæc est. *Vilitati speciali prospicimus, cum communi saluti fidelium providemus. Attendentes igitur grave dispendium & irrecuperabile damnum, quod posset contingere ex im- peritia Medicorum, jubemus nullum Medici titulum pretendentem andere practicare aliter vel mederi, nisi Salerni primitus & in conventu publico, Magistrorum judicio comprobatus, cum testimo- nialibus literis, ac fide & sufficienti, tam Magistrorum quam Ordinatorum nostrorum, ad presentiam nostram, vel nobis à regno absentibus, ad illius presentiam, qui vice nostra in regno remanserit, ordinatus accedat, & à nobis vel ab eo medendi li- centiam consequatur: pena publicationis bonorum, & anna- lis carceris imminentis his, qui contra hujusmodi nostra Serenissatis edictum imposterum ausi fuerint practicare.* Lex altera ejusdem Cælaris ita sonat. *Quia nunquam sciri posset scientia Medicina nisi de scientia Logicali prescribatur, statui- mus, quod nullus studeat in Medicinali scientia, nisi prius stu- deat ad minus triennio in scientia Logicali: post triennium, si voluerit, ad studium Medicinae procedat: ita quod & Chirurgiam, quæ est pars Medicinae, infra predictum tempus addiscat. Post quod, & non ante, concedatur sibi licentia practicandi, ex- examinatione juxta curie formam probabita, & nihil minus re- cepto pro eo, de predicto tempore study, testimonio Magistrali. Iste Medicus jurabit servare formam curie hactenus observa- san. Eo adjecto, quod si pervenerit ad noritatem suam, quod aliquis Confectionarius minus bene conficiat, curie denunciabit, & quod pauperibus consilium gratis dabit. Iste Medicus visi- tabilis agrotos suos ad minus bis in die, ad requisitionem infirmi, semel nocte: à quo non recipiet per diem, si pro eo non egrediatur & vivaret vel castrum, ultra dimidium terrenum auri. Ab in- firme*

firmo autem quem extra civitatem visitat, non recipies per diem ultra tres tarrenos, cum expensis infirmi; vel ultra quatuor tarrenos, cum expensis suis. Non contrabat societatem cum Confectionariis. Non recipiat aliquem sub cura sua ad expensas suas, pro certa pretij quantitate. Nec ipse etiam habebit propriam stationem. Confectionary vero facient confectionem ex expensis suis, cum testimonio Medicorum juxta formam constitutionis; nec admittentur ad hoc, ut seneant Confectiones, nisi praefito juramento, quod omnes confectiones suas secundum predictam formam facient sine fraude. Lucrabitur autem Stationarius de confectionibus suis secundum istum modum de confectionibus & simplicibus medicinis, qua non consueverunt teneri in apothecis ultra annum, à tempore emptionis; pro qualibet libra poterit & licebit tres tarrenos lucrari. De aliis vero, qua ex natura medicaminum, vel ex alia causa ultra annum in apotheca renentur, pro qualibet uncia licebit lucrari tres tarrenos. Nec rationes hujusmodi erunt ubique, sed in certis civitatibus per Regnum, ut inferius describitur. Nec ramen post completum quinquennium practicabile, nisi per annum integrum cum consilio experti medici practicaverit. Magistri vero intrad istud quinquennium libros authenticos, tam Hippocratis quam Galeni, in scholis doceant, tam in Theorica quam in Practica medicinae. Salubri etiam constructione sanctimus, ut nullus Chirurgicus ad Practicam admittatur, nisi testimoniales literas offerat Magistrorum in Medicinali facultate legentium, quod per annum saltem in ea parte Medicina studuerit, que Chirurgiae instruit facultatem; & praesertim Anatomiam humanorum corporum in scholis didicerit, & sit in ea parte Medicina perfectus, sine qua nec incisiones salubriter fieri poserunt, nec factae (lego fracturæ) curari. Hactenus lex secunda. Sequitur tertia. In terra qualibet regni nostri nostræ juris dictioni subjecta, duos vires circumspectos & fide dignos volumus ordinari, & corporali per-

eos præstito sacramento teneri, quorum nomina ad curiam nostram mitteuntur, sub quorum testificatione, electuaria, & scripsi, ac alia medicina legaliter fiant, & sic factæ vendantur. Salerni maximè per Magistros in Physica hoc volumus approbari. Præsentí etiam lege statuimus, ut nullus in Medicina vel Chirurgia, nisi apud Salernum vel Neapolim legat in regno, nec Magistri nomen assumat, nisi diligenter examinatus in praesentia nostrorum Officialium & Magistrorum artis ejusdem. Hæ sunt leges illæ Friderici, dignæ tanto Cæsare: dignæ celeberrima ista Salernitanorum Medica Schola: dignissimæ quæ in omnem posteritatem commendentur. Non patitur tempus in earum laudem hic excurrere. Imo vetat, vel de ipsamet illa Schola ulterius quidquam addere.

Midden-
dorp. 1.4.
de Acad.

Ideoque non nisi unum hoc nunc adiicio: præter Medicam, Juris quoque scholam Salerni olim floruisse, docente ibi Roberto Maranta, cujus est celeberrimæ famæ Speculum illud Aureum sive Lumen Advocatorum. An quæ alia ibi in pretio fuerit, nescio. Certum est & notum omnibus, cum temporis injuria tūm aliarum Academiarum splendore Salernitanam omnem Scholam dudum non obscuratam duntaxat, sed planè interiisse.

Cæterum seculo demum tertio decimo, Academias nostras, si verum fatendum est, cœpisse, & frustra iis vetustatem majorem à nonnullis tribui, nisi admodum fallor ex iis quæ dixi jam est manifestum. Quapropter nunc quidem claudemus hunc sermonem, de institutis Academicis alias distinctius dicturi: ad alterum vero & cuius potissimum gratia huc accessimus progrediemur. Hoc est, tandem aliquando commeritis dudum honoribus Candidatum hunc nostrum, more rituque solenni, decorabimus.

DIS.



DISSERTATIO QUARTA

RECITATA ANNO CIC 1538.
x. KAL. JANVAR.

Quum Decanus Collegii Medici duobus eximiis Viris nomen & dignitatem Doctoris Medici conferrem.

Inter multa præclare instituta id hodie habent Scholæ Academicæ penè utilissimum & omni dignissimum laude, quod nemini in republica aut Ecclesia liceat temere vel docere quidquam vel agere, quod quidem sit majoris momenti, nisi de cuius profectu ante in Scholis illis latum publice sit testimonium. Enimvero illo uno instituto florere civitas quævis potest, modò id probe observetur. Ita sane solis idoneis ad rempublicam atque Ecclesiam patet aditus: quo nihil potest esse exoptatius. Quis rectius verò idoneum dignoverit iis, quibus nihil antiquius est vera ac non fucata sapientia, qui que id dant operam maxime, ut juventus omnis non virtute minus quam bonis studiis imbuatur? Quemadmodum igitur in aliis artibus de profectu judicare tantum est magistrorum, eorumve qui ~~experiuntur~~, ut Aristotelice loquar, in iis obtinent, ita etiam virtutem ac sapientiam aliorum aestimare illi profecto possunt maxime, qui unicum hoc agunt, omissis aliis negotiis utut magis lucrosis.

Quanquam verò usque adeo utile sit solis peritis Ecclesiam atque rempublicam committi: quod tamen miraris, non tantum hodie minus quam par est hoc observatur, imo in contemptum pene venit cum doctrinæ omnis op-

O probrio,

probrio, sed & olim apud gentes etiam admodum elegantes illa nostris Scholis laudatissima probandi consuetudo nullo pene in usu fuit. Etenim Ægyptiis quidem, Chaldaicis, Persis, imo & antiquis Gallis, omnis eruditio, sive illa liberalis quam Philosophiam *πειδεύτην* nuncupamus, sive illa quæ in usum magis transfertur, qualis est quæ religionem, rem publicam, sanitatem ac forum moderatur, in sacris fuit habita, adeoque non nisi à solis Sacerdotibus est exercita. Quantopere in ÆGYPTO adstricta fuerit Ars medendi, alibi diximus. Sed & verosimile admodum est, fuisse illis gentibus suos studiorum gradus, nec cuivis temere quidvis agere permisum. Quæ tamen illæ fuerint leges, haud constat præ vetustate & defecu monum-
mentorum.

Verum apud GRÆCOS nullam eruditioñ partem publica auctoritate fuisse traditam, alias ex hoc loco manifestum itidem fecimus. Inde autem facillimum est colle-
gu, non etiam in illo populo habuisse locum, quæ nunc obtinet creandi auctoritate publica idoneos Doctores consuetudinem. Sane notum est quid in docenda Philo-
sophia Pythagoras observaverit. Nec minus notum est,
quemadmodum ejus leges imitati post sint primus Pla-
to, inde Aristoteles atque alij. Quos inter Aristippus
παιδευτην rōμων aliquot libros conscripserat, quod Dio-

Vide quæ
diximus
Laudatio-
ne altera
Aristote-
lis.
geni Laërtio est proditum. Nec verò non optimè ac prudentissime ab illis fuit institutum; quod non sine dis-
crimine quosvis ad *αὐγάστες* subtiliores admiserint, sed
eos solos, quorum ante ingenium laborum tole-
rantiam veritatis studium eruditioñ denique elemen-
ta explorassent. Hodie profectò id negligitur magno cum
studiorum omnium detimento, ne quid dicam gravius.
Ets

Etsi vero hac ratione multi ~~auerteri~~ fuerint à discendis subtilissimis quibusque semoti, à docendo tamen ac faciendo (qua in re maximum tamen reipublicæ momentum est collocatum) arcere viri illi præclarri neminem potuerunt, idq; quoniam hactenus auctoritate publica, quæ unice ad hoc necessaria est, destituerentur. Quo etiam est factum, ut ne quidem diu suos illos ante laudatos discendi gradus conservaverint. Quolibet nempe faciente id quod libebat, aut suis rebus videbatur commodius, in tanta documentum vulgi multitudine.

Quæ vero tum Philosophiæ fortuna eadem etiam Artis Medicæ fuit. De Iuris enim professione non est quod dicam: quum illa ætate paucis legibus apud Græcos obtinentibus, legum latarum quidem cognitio non fuerit æstimata pars eruditionis, ferendarum cura Philosophorum fuerit, ad quos reapse pertinet.

Verum Artem etiam Medicam male tum & didicerunt plerique & docuerunt. Vnus Hippocrates fortè meretur excipi: quem haudquaque promiscue omnes ad discendam Artem admisisse, sed eos tantum quos singulari sacramento simul ad virtutem atque honestatem ante adstrinxerat, & notum est & alias à nobis laudatum. Neque vero ausim quæ ejus nomine fertur Jurisjurandi formula, cum Hieronymo Mercuriali & alijs rejicere tanquam adulterinam; quum Hippocrati adscripta sit jam ætate Claudi Cæsar, (ut ex Scribonij Largi ad Callistum epistola patet) & probatores postilla invenerit viros longe maximos aureæ etiam ætatis. Etsi verò ipse quidem Hippocrates feliciter dubio procul docuerit, quum tamen auctoritate publica non fuerit munitus, facile apparet quo usque illius moris observatio sese tum extenderit. Certe in ipsamet Hippocratica schola diu illum jurandi optimum

mum morem obtinuisse, haud est quò temere probetur. Adhoc penes Hippocratem non stetit, probare quinam Medicinæ fuerunt facienda idonei. Id quod hodie nostra Academica instituta potissimum commendat. Quemadmodum porro alias habuerit sese Ars Medica apud Græcos, vel ex una illa Hippocratis querela, ὅλη ὡραίη φύσις μὲν ἔγειραι πάγκυ βαῖοι, nimis est manifestum. Ut proinde nostra Academiarum instituta longe hac parte sint Græcis meliora & felicia.

Vt cætera autem pene omnia Græcorum vitia, ita & hæc in doctrinæ negotio ROMANVM quoque populum infecerunt. Neque enim melior docendi descendique ratio apud hos valuit, modò non fuerit pejor. Et quidem initio ne apud hos quidem Iuris peritia (ut de illa primo loco dicam) doctrinæ subtilioris portio credi potuit, quum omnia nimirum manu regia administrarentur. Post Decemvirali imperio Duodecim tabulis promulgatis, similiter cuivis è vulgo fuit proclive Jus cognoscere. Inde **Livius l. 3.** autem immenso (verba sunt Livij) aliarum super alias acervata legum cumulo, quum ad multitudinem ac varietatem infinitam esset perventum, jamque res publica Romana non **Tacit. l. 3.** minùs legibus quam vitijs laboraret, ut loquitur **Cornelii Tacitus**, operosa quidem cœpit Juris intelligentia esse, simulque orta est ejusdem professio; certis tamen vel descendendi vel docendi legibus minime observatis, quantum apparet. Namque ante quidem Augusti tempora *ut quisque fiduciam suorum studiorum habuit, ita consulentibus respondit*, ceu narrat Pomponius, ita etiam quisque procul dubio docuit. **Tit. de orig. iuris l. 47.** *Primus Augustus (verba iterum sunt Pomponij) ut major Iuris auctoritas haberetur, constituit ut ex auctoritate ejus responderetur: unde illorum consultorum iuris*

ris sententiis atque opinionibus ea quidem auctoritas nata est, ut Judici recedere à responsis illis haud liceret: verum ne ita quidem leges ac gradus discendi aut docendi invenio observatas. Nec respondendi illa de Jure facultas quidquam affine habet nostris Doctoratus honoribus. Et vero ipsa illa facultas non cuivis perito Iuris concessa, nec ab ipsis doctoribus, sed paucis tantum, idque beneficio Cæsarum, nec in usum scholæ sed fori. Diserte enim Pomponius: *Ex illo (Augusti sc.) tempore peri hoc pro beneficio capit. & ideo optimus Princeps Hadrianus, cum ab eo viri Praetorii peterent ut sibi licet reppondere, rescripsit eis, hoc non peri sed præstari solere, & ideo si quis sui fiduciam haberet delectari se: populo ad respondendum se prepararet. Sabino concessum est à Tiberio Cæsare ut populo responderet.*

Quarto demum præter propter à nato Servatore seculo in quasdam leges videtur consensum inter docentes. Et quidem illas fortasse, quas ceu haetenus in discendo observatas recitat Justinianus Imperator, constitutione illa qua rationem discendi imposterum Juris præscribit. Post Gaij enim Pauli & Papiniani ætatem, ordinem illum studiorum Iuris Romani quadriennio definitum cœpisse, manifestum est ex eo, quod illorum scripta in scholasticam illam Juris discendi methodum fuerint recepta. Itaque gradus quidem tum observati sunt in Jure discendo, nondum tamen lege quadam publica Professoribus licuit facultatem docendi cuiquam concedere. Quare nec Doctor aut Magister tum audivit, nisi idem docendi munus publicum reapse gereret, si paucos emeritos excipias, de quibus postea clarius. Quemadmodum id potest cuivis patere, qui limis tantum oculis aut quasi per transennam veterum monumenta, inque his ipsis Romanarum legum

O 3

Pande-

Pandectas, aut Justiniani Codicem inspexerit. Ut proinde ea quæ à priscis illis Cæsaribus concessa sunt doctoribus privilegia, ad solos ea ætate Professores potissimum pertinuerint. Verum hoc obiter. Ut autem revertar in viam: id patet, etsi Juris discendi quidam gradus & jam ante & post à Justiniano ipso constitutus fuerit, illam tamen probandi ac judicandi eos, qui Juri dicundo sunt apti, consuetudinem nostris scholis receptam, illi tempestate nequaquam fuisse usitatam.

Non alia verò ratio fuit reliquarum etiam doctrinæ melioris partium. Namq; ante quidem Cæsarum ætatem, auctoritate quidem publica, nulla plane schola ullius disciplinæ fuit. Etsi vero, quod alias uberioris à me narratum est, Cæsares publico salario instituerint passim scholas Rhetorum, Grammaticorum, & Philosophorum: attamen neutram constat, num & his statæ quædam ac certæ fuerint ex publico quidem præscripto discendi leges: tantum abest ut ea ætate tituli atque honores quiverint à scholis illis cuiquam attribui.

Sunt, fateor, nonnulla in ijs Cæsarum constitutionibus, quæ in Codicis Justinianei titulo de Medicis & Professoriis leguntur, quæ fortassis nonneminem aliam in sententiam traxerint; imo traxere illa hactenus permultos. Imperator enim Gordianus ita sanxit: Grammaticos seu Oratores decreto Ordinis probatos si non se utiles studentibus præbeant, denus ab eodem Ordine reprobari posse, incognitum non est. Julianus quoque Imperator in hæc verba rescripsit: Magistros studiorum doctoresque excellere oportet moribus primum deinde facundia. Sed quia singulis civitatibus adesse ipse non possumus jubeo, quisquis docere vult, non repente nec temere profiliat ad hoc munus, sed iudicio Ordinis probatus decretum Curialium mereat.

uit, optimorum consenserit consensu. Ad hoc Valentinius
 & Valentis de Philosophis exstat decretum in hæc verba:
 Reddatur unusquisque patriæ sua, qui habitum Philosophie inde-
 bite & insolenter usurpare cognoscetur: exceptis his, qui à proba-
 vissimis approbati ab hac debent collusione secesserit. Videri
 nempe possit, fuisse Philosophis & Magistris Artium ut
 nunc sua collegia suosque ordines: adeoque & tunc pro-
 batum idoneum quemque proprietum ordinum decretis.
 Sed ea quidem tempestate hujusmodi fuisse proficiunt
 cœtus haud temere profecto quis probaverit. Omnino
 vero Ordinem hic non alium esse intelligendum, quam
 Decurionum qualibet in urbe, liquidò est manifestum ex
 multis alijs. Ita Codice de decretis Decurionum scribunt Imperatores
 Diocletianus & Maximianus: *Ordinis ambivios a
 decreta sacris constitutionibus improbanter.* Idem Augusti
 Codice de Professoribus scribunt: *Nec intra numerum pra-
 stitutum Ordine invito Medicos immunitatem habere saepe con-
 statutum est, cum oporteat eis decreto Decurionum immunita-
 tem tribui.* Digestorum quinquagesimo libro Titulus de-
 cimus integer est de *Decretis ab Ordine faciendis.* Intelligi-
 tur autem & ibi Decurionum ordo: uti recte post alias no-
 rat *Juris consultissimus Dionysius Gothofredus.*

Gothofr.
ad titul.
de decreto

Scilicet ita sese res habet. Augustus ipse Imperator post-
 quam ex adversa valetudine in optimam præter omnium
 expectationem esset ab Antonio Musa restitutus, universo
 Medicorum Romanorum populo cum aurei annuli jus tum
 & immunitatem munera concessit. Id quod Dion testa-
 tur. Vespasiano Imperante publico salario primi omni-
 um jussi docere Rhetores seu Oratores, quod ex Eusebio
 & Svetonio alias demonstratum est. Cœperunt fortassis
 eodem tempore & Scholæ Grammaticorum Philosopho-
 rumque

rumque constituto salario haberi. Quicquid sit, his quoque eadem immunitas simul cum alijs privilegijs obtigit. Cujus rei in testimonium non possum non adducere verba Arcadij Carisij Jurisconsulti, quæ habentur libro quinquagesimo Pandectar. titulo quarto de munericibus & honoribus. Magistris, inquit ille, qui civilium munierum vacationem habent, item Grammaticis & Oratoribus, & Medicis, & Philosophis, ne hospitem recipere, à Principibus fuisse immunitatem indultam, & Divus Vespasianus & Divus Hadrianus rescripsérunt. Quo respiciunt & Pauli verba quæ habentur eodem quinquagesimo libro, Titulo de Vacatione atque excusatione munerum : *Angariarum præstatio & recipiendi hospitis necessitas & militi & Liberalium artium Professoribus inter cetera remissa sunt.* Eo autem factum est, uti præter Medicos, Grammatices & Philosophiæ & Rhetorices Professores, & quidem hi inter doctores soli, immunitate illa alijsque privilegijs frui cœperint. Certè ad solos illos spectasse tum quidem temporis isthæc privilegia, sole clarius est ex Commodo Imperatoris verbis, quæ recitat Modestinus libro Viceximo septimo Pandectarum, Titulo primo qui de Excusationibus inscribitur. Verba Modestini sunt: *Est autem Imperatoris Commodi constitutionibus inscriptum capitulum ex epistola Antonini Py, in qua manifestatur, & Philosophos habere immunitatem tutelarum: sunt autem hæc verba.* Consimiliter autem his omnibus Divus pater meus mox ingrediens Principatum, constitutione existentes honores & immunitates (nempe quæ jam ante illum cœperant) firmavit, scribens: *Philosophos, Rethores, Grammaticos, Medicos, immunes esse gymnasi, sacerdotii, & neque ad frumenti & vini & olei emptiones, & præpositiones, & neque judicare, neque legatos esse, neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famularum*

famularum eos cogi. Verum sine discrimine concessa hæc immunitas non potuit non multum sæpe turbarum dare; subtrahentibus sc. sese nimium multis publicis oneribus. Ea propter restrinxit idem Antoninus Imperator privilegia hæc ad certum aliquem numerum, communitati Asie rescribens. Verba ipsa Imperatoris quoniam digna sunt quæ hic audiantur, adducam ex eodem Modestini loco. Minores quidem civitates possunt quinq^u Medicos immunes habere, & tres Sophistas (hi sunt Rethores) & Grammaticos totidem: Majores autem civitates septem qui curant, quatuor qui doceant utramq^{ue} doctrinam: Maxime autem civitates, decem Medicos, & Rethores quinque, & Grammaticos totidem. Supradictum autem numerum ne maxima quidem civitas immunitatem prestat. Debet autem maximo quidem numero uti Metropoles, Secundo autem quæ habent vel forum causarum vel loca judiciorum, Tertio autem reliquas. Addit de suo Modestinus: Excedere quidem hunc numerum non licet, neq^{ue} sententia Senatus, neq^{ue} alia qua ad inventione: minuere autem licet, quoniam pro civilibus muneribus apparet hoc tale factum. Et utique non aliter de immunitate hac fructum habebunt, nisi decreto Senatus inscripti fuerint numero concesso, & circa operationem se negligenter non habeant. Ex eo ergo penes Decuriones fuisse videtur inferere Medicos, Philosophos, Grammaticos, & Rethores numero immunium civium. Invito sane illi Ordini nemo obtrudi potuit, ceu de Medicis diserte cautum est constitutione Vid. Tit. Diocletiani & Maximiani Cæsarum. Atque hoc est illud ex de med. & Imperatoribus modò adductum: Medicis oportere decreto professor. Decurionum immunitatem tribui. Et illud: judicio Ordinis probatus decretum curialium mereatur. Nec probatissimi in ipso Valentianii & Valentis rescripto alii censendi vindicentur, quam qui fuere Ordinis Decurionum. Imo hic

P ille

ille videtur esse *catus amplissimus*, cuius judicio submittuntur Professores Constantinopolitani, ex constitutione Theodosii Cæsarilis illâ, quæ conficit titulum quintumdecimum duodecimi Codicis Justiniane libri. Quanquam quæstam in his etiam ipsorum Philosophorum aliorumq; magistrorum, ut & ex parte studiosæ ipsiusmet adolescentiæ, sententiam, per sit verosimile.

Licet vero ampla adeo potestas Decurionibus fuerit concessa, tamen præscriptum immunitate gaudentium numerum ne Justiniani quidem ævo licuit Decurionibus excedere. Etenim Diocletiani Maximianiq; ea de re decretum, legem primam tituli quadragesimi sexti libri decimi Codicis sui, qui de Decretis Decurionum inscribitur, esse voluit ipse Justinianus. Verba ita se habent : *Exceptis qui Liberalium studiorum antistites sunt, & qui Medendi cura funguntur, decurionum Decreto immunitas nemini tribui potest.* Ex quibus verbis manifestum utique est, ne tum quidem Decurionibus fuisse licitum, immunitatem aliis quam Medicis, Grammaticis, Rhetoribus, & Philosophis tribuere, ut qui soli liberalium studiorum antistites semper audierunt.

Scilicet ne Iuris quidem doctoribus, tametsi ea professio in primis honorata esset, dari, nisi Romæ duntaxat, tum temporis potuit, ea quæ reliquis Professoribus immunitas. Quod tametsi ex supra dictis satis per se liqueat, cum illorum utique nusquam inter immunes fiat mentio: magis tamen manifestum est ex verbis Modestini quæ duodecimo paragrapfo, loco legis sextæ, tituli de Excusationibus, primi inquam in libro vicesimo septimo Pandectarum, esse voluit ipse Tribonianus. Sunt illa : *Legum vero Doctores in aliquo præsidatu remissionem non habebunt, Roma autem docentes à tutela & cura remittuntur.* Vnde claret, tum quidem conditionem illorum fuisse infra

infra immunitatem aliorum docentium. Postilla Theodosius & Valentinianus Cæsares ut aliis Professoribus in urbe Constantinopolitana docentibus ita & juris peritis vicariam dignitatem impertierunt: non omnibus tamen, sed demum cum ad viginti annos iugis ac sedulo labore pervenissent. Quid quod haud inuria dixeris, Tribonianus primum cura Romani Juris doctoribus Professorum ac Medicorum antiqua privilegia concessa esse? Hic enim princeps videtur doctores legum inseruisse illi Constantini Magni constitutioni, quæ hodie est lex sexta Codicis Justinianei de Professoribus & Medicis: ut omnem illam constitutionem miris modis immutavit. Recitabo illam prout habetur in Anianeâ Theodosiani Codicis epitome: *Medicos, Cod. Theodosianus, & Professores alios literarum, immunes esse cum rebus quas in civitatibus suis possident, & honoribus fungi, in jus etiam vocari eos vel pati injuriam prohibemus. Ita ut si tessoribus, quis eos vexaverit, centum millia nummorum arario inferat, à magistratibus vel quinquennalibus exactus, ne ipsi hanc pœnam sustineant: Servus eis si injuriam fecerit, flagellis debeat à suo domino verberari coram eo cui fecerit injuriam: vel si dominus consenserit viginti millia nummorum fisco inferat, servo pro pignore, donec summa hac exsolvitur, retinendo. Mercedes etiam eorum & salario reddi præcipimus. Quoniam gravissimis dignitatibus vel parentes vel domini & rutores esse non debent, fungi eis honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus.* Hæc sunt ipsissima Cæsarum verba, nulla Iuris doctorum facta mentione. Sed & omnino ad perpaucos trahi potuit immunitas ipsa à Justiniano noviter concessa. Vt pote quam non nisi tribus in urbibus & à paucis admodum doctoribus Ius doceri ille instituerit; & satis constet Iuridicam schoolam utramque, quæ Beryti & quæ Romæ fuit, statim à Justiniani ævo concidisse.

Verum quo pro labor? Id volebam: nequaquam ostendi posse ex Iustinianeis quidem legibus, ea etiam tempestate invaluisse quem nunc laudamus scholarum nostrarum morem, probandi idoneos, eosque multis privilegiis atque honoribus auctoritate publica exornandi. Quamquam enim fortè Decuriones optimorum artificum consilio usi sint, (quod videtur innui lege octava & decima tituli saepe laudati de Medicis & Professoribus,) ipsa tamen potestas concedendi immunitatem istam, penes Decuriones solos stetit. Quod multum à nostris moribus differt. Quid quod ipsamet Archiatrorum cooptatio videatur ordini Decurionum commissa? Diserte enim Valentianus & Valens Cæsares ad Olybrium Præfectum Urbis scripsere: *Si qui in Archiatri defuncti est locum promotionis meritis aggregandus, non ante eorum particeps fiat, quam primis qui in Ordine reperientur, vel eo amplius judicantibus, idoneus adprobetur.* Ad Prætextatum tamen itidem Urbis Præfectum videntur paulo aliter iidem Cæsares statuisse. *Quod si huic Archiatrorum numero aliquem aut conditio fatalis, aut aliqua fortuna decerpserit, in ejus locum non patrocinio præpotentium, non gratia judicantis aliis subrogetur, sed horum omnium fidei circumspectoque dilectu, qui & ipsorum consorcio & archiatriæ ipsius dignitate & nostro judicio dignus habeatur, de cuius nomine referri ad nos protinus oportebit.* Hæc Cæsares. Quæ ideo referimus, ut pateat saltim, non multum tributum tunc esse collegii alicujus vel Medicorum vel Professorum sententiis, plus vero Decurionum suffragiis. Ut vero aliquid etiam tum valuerint ipsorummet Professorum judicia, tamen à nostris moribus quantum omnia illa absuerint vel hinc manifestum est, quod approbationes illæ omnes ad solam Professorum constitutionem pertinuerint,

rint, & quidem eorum qui reapse isthoc munere fungebantur. Non enim temere ausim accedere doctissimis viris, ea quæ titulo Codicis, ~~us dignitarum~~ Ordo servetur, traduntur, ad doctores etiam aut magistros trahentibus; quasi & ipsi in totidem fuerint ordines distincti quo ibi recitantur; utpote quum ille integer titulus agat de dignitatibus Illustribus, cujusmodi non fuit habitum munus Professorium. Nec invenias facile, factam mentionem aliorum Professorum, quam duntaxat eorum qui reapse functi sunt docendi officio aut vacationem meruerunt.

Cæterum Ordinis probationem in Legibus Romanis memoratam, ad nostra scholarum instituta non facere, jam est manifestum. Traxeris vero isthuc fortassis majori verosimilitudine illud, quod alibi videtur legi de Pallio Sophistico Athenis usitato. Verum nec illud quidquam cum nostris moribus habet affine. Perspicuum id cuivis erit, ubi in medium adduxero quæ illa de re in ~~μεροβίλῳ~~ suo doctissimus Patriarcha Photius ex Olym- phot. in
piodori Historiarum libris commemorat. In hunc autem Biblioth.
modum ille interprete Andrea Schotto: Sed & de Pallio Cod. II.
Sophistico memoriae prodidit, nemini (præsertim autem externo
homini) Athenis id gestare licuisse, nisi Sophistarum suffragioge-
statio ejus illi concessa, dignitasq; ista Sophistarum legum ritibus
effet confirmata. Ritus autem qui peragebantur tales erant. Pri-
mum ad publicum balneum deducebantur qui novitiis adveni-
sent, sive parvi, sive grandiores, atque inter hos etiam y; qui per
etatem ad Pallium sumendum apti erant: quos in medium protru-
debant Scholastici à quibus deducebantur. Deinde aliis præcur-
rentibus atque prohibentibus, aliis prouidentibus & contra ten-
dentibus: quotquot autem prohibebant vociferantibus sta sta,
non lava: nihilominus tamen in certamine y; videbantur ob-

tinere, qui in honorem scholastici quem deducebant, obssidentes re-
trudebant. Tandem post longam moram, multamque ob illata ex
more ultro citroque verba contentionem, in calidam cellam indu-
citur, ibique abluitur. At postquam se induit pallij dignita-
tem accipit, atque exinde cum pallio à balneo, celebri & honori-
fica stipatus pompa, digreditur, decretis luculentis sumptibus in
scholarum Antistites, qui dicuntur Ανεψιται. Hæc Photius
ex Olympiodoro; qui historias suas inscripserat Theodo-
sio minori, circa initia seculi Christiani quinti. Quis vero
hæc audiens non intelligit, petulantis juventutis schola-
sticæ hunc ludum fuisse inventum in exagitationem no-
viter advenientium? imo fuisse prorsus illum quo sese cum
Rhetorices studiosus esse Athenis exceptum scribit Euna-
pius Sardianus; atque adeo illud, quod ne S. Basilius, Ale-
xandriâ recenter Athenas studiorum rhetoricorum gra-
tia adveniens pateretur, intercessione sua effectum, testa-
tur Gregorius Nazianzenus.

Alienum quidem ab hoc loco est de ineptiis illis ad-
ducere hic quæ illi memoriæ mandaverunt, quoniam
tamen forte fortuna in hunc sermonem incidimus, & ob-
servare ita liceat aliquid simile illi novitiorum initiationi
per Germanicas Academias receptæ, quam *Cornuum depo-*
sitionem nuncupamus, fortassis licebit hac narratiuncula
diffindere nonnihil (ut ita dicam) institutam dissertatio-
nem. Et vero quidni liceat in hac panegyri recitare, quod
ipsemet sanctissimus antistes Gregorius inter magni &
gravissimi Episcopi, Basilii inquam, laudes, condimenti
loco esse voluit? Recitabimus autem non ipsamet Græ-
ca scriptorum verba, ne cui graves simus, sed qualia Gre-
gorii quidem Nazianzeni Jacobus Billius, Eunapii au-
tem Hadrianus Junius viri clarissimi Latine prodisserunt.

In fine

Insano quodam erga Sophistas, ait sanctissimus Gregorius, Nazianz,
 studio Athenis renentur quamplurimi & stolidissimi adolescentes; erat. 20.
 non modo ignobiles & obscuri, sed nobiles etiam & illustres, ut
 qui miscellanea quædam multitudine sint, & juvenes, & ita affe-
 cit, ut eorum impetus vix reprimi possit. Quod igitur in equi-
 stribus certaminibus iis accidere videmus, qui equis & specta-
 culis oblectantur (exilunt enim, clamant, pulverem in cœlum
 mittunt, sedentes habentas moderantur, aërem verberant, equos
 digitis quasi stimulis in alterum atque alterum latus subinde jun-
 gunt, cum nihil horum in ipsorum potestate sit: facile inter
 se aurigas, equos, equorum stationes, certaminis duces permutant:
 idq. quinam tandem? pauperes plerumque arque inopia labo-
 rantes, & quibus ne in unum quidem diem victus suppetit) hoc
 ipsis quoq. plane circa præceptores suos, aliosque ejusdem artis pro-
 fessores, eorumque amulos accidit: in hoc nimirum laborantibus,
 ut & plures ipsi sint, & illos opera sua locupletiores efficiant.
 Arque ea res vehementer absurdæ & prodigiosa est. Præoccu-
 pantur urbes, viæ, portus, montium cacumina, campi, solitudi-
 nes, omnes devique Attica & reliquæ Græcia partes, atque adeo
 incolarum maxima pars. Nam & illos in partes & studia di-
 stractos habent. Cum autem juvenis quispiam accesserit, atque in
 eorum, à quibus captus est manus & potestatem venerit (venit
 autem, vel sponte, vel coactus) ium vero Attica hac illis consue-
 tudo est, ludus q. rei seriae admixtus. Primum apud eorum ali-
 quem, qui priores ipsum arripuerint, hospitio excipiunt, vel amico-
 rum, vel propinquorum, vel qui ejusdem sunt patriæ, vel qui Sophi-
 stices artem apprime callent, ac lucra magistris conciliant, eoque
 nomine apud eos in summo honore ac prelio sunt: quandoquidem
 illis mercedis loco est, habere qui ipsorum commodis studeant.
 Deinde à quolibet cavillis laceſitus: quod quidem, ni fallor, eò
 faciunt, ut noviziorum animos contrahant, atque à principio ipso-

in po

in posestatem redigant. Eaceſſit autem ab aliis audaciis, ab aliis eruditius: prout ille vel rusticis & ineptis est moribus, vel urbanitate praditus. Atque id ignaris quidem horrendum valde & inhumanum viderur, iis autem per quam jucundum & suave, qui hoc prius norunt. Amplior enim est hæc minarum ostentatio, quam res ipsa. Tumper forum ad balneum cum pompa deducitur. Pompa autem hoc modo se habet. Qui deducendi juvenis munere funguntur, ordine collocati, atque aequis spatiis distincti, bini eum ad balneum antecedunt. Cum autem proprius accesserint, quasi fanatico furore correpti, clamorem ingentem cum salutatione tollentes (hic autem clamor ne ulterius progredianur verat, sed ut silent, tanquam eos balneum minime admittat) simulq[ue] pulsatis januis, cum per strepitum juveni metum incusserint, postea concessu ingressu ita demum cum libertatem afferunt, atque à balneo redeuntem deinceps ut aqualem ac sodalem accipiunt. Atque hoc ip[s]s[e] est totius laususc ceremonia jucundissimum: nimis ab his, qui molestiam exhibent, quam primum liberari. Tunc igitur meum magnumq[ue] Basiliūm, non ipse solus veneratione prosequabar (quod illius ium in moribus gravitatem, ium in sermonibus maturitatem & prudentiam conficerem:) sed aliis etiam. quibus non perinde cognitus erat, ut idem facerent persuaderam. Nam apud multos statim in veneratione erat, ut qui fama & auditio[n]e jam eum pracepissent. Ex quo effectum est, ut solus fere ex omnibus quis studiorum causa Athenas veniebant, communi lege solitus sit, maiorem uiri honorum, quam novitii conditio ferre videbatur, consecutus. Haecen[us] Nazianzenus. Eunapius vero Sardianus paulum Gregorio junior de semetipso ita narrat. Hic appulerat in Piraeum portum circa primam noctis vigiliam, inter navigandum febre vehementi correptus. Aderant navigationis socij non pauci è propinquis ac necessariis. Circa illud noctis tempus antequam aliquid

à con-

è consuetis ministeriis fieret, nauclerus (erat enim Attici civis
 propria navis, & multi ex his qui in hunc quam in illum ludum
 studio propensiore feruntur in porta stabant juxta pilam qua sit
 descensio) recta Athenas contendit, ceteris vectioribus una curren-
 tibus, ipse scriptor pedibus insistere invalidus, per manus sublatus
 in urbem deportatur. Erat jam nox concubia, quo tempore sol
 ad austrinam plagam inclinatior longiorem facit noctem, quippe
 qui libram subierat, nocturnaque vigilia protractiones erant. Na-
 vicularior, vetus olim Proæresius (hic erat primarius Rhetorices
 professor) hospes, pulsis foribus, tantam comitum turbam do-
 dum illus invexit, sicuti fit ubi de adolescenti uno aut altero
 bellum oritur, ut ea turba advenarum totum sophistarum gym-
 nasm expletura videatur: horum alij corporis robur collige-
 bant: alij in opibus delitiabantur: pleraque pars medio loco erant: as-
 scriptori qui gravi conflectabatur morbo, veterum scripta solum
 in labris versabantur. Itaque domus latitia perstrepere, viri pa-
 riter ac fæminæ ulro citroque discursare, hirisum edere, illi sa-
 libus toxicaque indulgere. Ea hora Proæresius consanguineos suos,
 Anatolium & Maximum, ad se evocatos juber advenas excipere
 (erat autem ipse ex Armenia interiore qua Persarum regioni est
 contigua, oriundus) qui ut habitabant in vicinia, mox imperata
 facere & hospites excipere. At juventus in balneo cum omni
 ostentatione hilaritatis in sales risusque solvebantur, lotique simul
 abibant. Sed scriptor animi ager glisceente vi morbi consumebatur
 interim, quod nec Proæresius nec urbis aspectu frui posset, quasi
 per somnum ea cernere, quorum tenebatur desiderio, visus. Non
 multo post idem Eunapius. Porro divinus ille Proæresius, qui
 scriptorem historie nunquam viderat, vicem tamen ejus deplo-
 rarat antea; postquam de insperata atque incredibili salute certior
 factus est, convocatis ad se præcipui nominis & eruditionis
 discipulis, laudare apud eos institutis opus virtutis & præstantia

Eunap. de
 vit. Sophi-
 star. in
 Proæresio

manuum (medicarum.) Evidem video mihi, inquit, accepisse beneficium, restituta buce adolescenti in columitate, quem tamen nondum oculis sum intuitus: vehementerq; fui commotus quum ita contabesceret. Quod si gratificari mihi velitis, publico eum balneo expiate, dicteris salibusq; parcentes, proq; filio meo habete. Hactenus etiam Eunapius. Vnde jam manifestum est, Athenis seculo quarto & quinto petulantis juventutis hanc versionam in scholis Rheticis invaluisse. Num verò eadē infestæ fuerint & Grammaticorum Philosophorumque scholæ, non perinde liquet. Imo dixeris solos eloquentiæ studiosos magistrosque solennia isthæc insanivisse, quum ad solos hosce astringantur omnia, ab iis quos dixi optimis illius ævi scriptoribus. Fortassis tamen & alia loca si non eadem certe par stultitia ac petulantia occupavit. Pessimos enim ludos, ejusdem certe cum Atheniensibus nota, Juris quoque Romani scholam cum Constantinopolitum Berytic collutulasse (ne quid gravius dicam) & quidem adhuc Justiniani Cæsaris ætate, vetat nos dubitare ipsum Cæsaris interdictum. Addemus Imperatoris verba, ne quid

Leg 3. Cod illarum ineptiarum veterum desideretur. Illud vero, ait de Vet. Iur. Imperator, satis necessarium constitutum cum summa intermissione edicimus, ut nemo audiat, neq; in hac splendidissima civitate, neq; in Berytiensium pulcherrimo oppido, ex his qui legitima peragunt studia, indignos & pessimos, imo magis servi-les, & quorum effectus injuria est, ludos exercere, & alia criminia, vel in ipsis Professores, vel insocios suos, & maximè in eos qui rudes ad recitationem legum perveniunt, perpetrare. Qui enim ludos appelleret eos ex quibus crimina oriuntur? Hoc enim fieri nullo patimur modo, sed opimo ordini in nostris temporibus & banc partem tradimus, & toto postero transmittimus seculo: cum oportet prius animas & postea linguas fieri eruditas. Et hac omnia

omnia in hac florentissima civitate Vir excelsus Praefectus hujus
almæ Vrbis tam observare quam vindicare, prout delicti tam juve-
num quam scriptorum qualitas exegerit, curæ habebit. In Berytien-
sium autem civitate tam Vir clarissimus Præses Phœnicie maritima,
quam beatissimus ejusdem civitatis Episcopus, & Legum professores.

CÆTERVM de hisce petulantis juventutis scholasti-
cæ ineptiis ὡς ἐπαργεῖσι fortasse plusquam satis est dictum.
Revertendum nunc tandem in viam. Nec tamen est
quur porro doceamus, neque Græcos neque Romanos
quicquam simile collationibus titulorum apud nos re-
ceptis habuisse, sed omnes illorum mores scholasticos à
nostris multum fuisse diversos. Hoc enim jam tum red-
didimus clarissimum, remotis iis quæ veritati fucum fa-
cere videbantur.

Non abs re autem facturi fortasse sumus, si de JV-
DÆORVM institutis nonnihil adjiciamus, antea quam
ad tempora propinquiora aggrediamur; præsertim
quum sic satis affinia nostris illa fuisse, non obscurum
collectu sit. Igitur res Judaicas penitus intuentibus ap-
paret, post redditam populo Regum Persarum beneficio
libertatem, seu potius post mitigatam asperam illam à Ba-
byloniis inflictam servitutem, duplicitis generis fuisse Scho-
las sacræ legi descendæ. Alias publicas, alias privatas.
Publicæ habitæ fuerunt cum in templo Hierosolymis,
tum in Synagogis quæ appellabantur. Quales in una urbe
Hierosolymana, ut & alibi, ubi major fuit Judæorum
multitudo, complures fuisse ex Apostolicorum Actuum vide Act.
libro manifestum est: quando Synagogæ Hierosolymita- 6. vers. 9.
ꝝ Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Cili-
cum item & Asiaticorum diserte memorantur, nec obscu-
re significatur Damascum quoque synagogas varias habu- vid. Act.
isse. Non autem urbibus tantum sed & frequentioribus vi- 9. vers. 2.
cis sy-

cis synagogæ suæ fuerunt; quantum colligere est ex verbis quibusdam Matthæi Evangelistæ, quæ leguntur hodie ca-

Matth. c. pite nono. Audiebant autem illæ Synagogæ alio nomine
9. vers. 35. ~~περισσούς~~, Romæ præsertim, quod nos docent Satyræ. In

quibus cum preces minus Græce & humili dictione passim instituerentur, Epicuri sermonem solacismi accusans

Cleomed. Cleomedes, sicut verba ejus quædam esse tanquam ex mediis proseuchis petita. τὰ δὲ ἔπος μέσης τῆς περιστολῆς καὶ

τῶν ἐπὶ ἀντιστοίχων Ιεδαικὰ πινά καὶ συναγαργύμενα, καὶ
κατὰ τὸ πολὺ τῶν ἑρμηνῶν ταπεινότερο. Hic enim quem dixi-
mus sensus est hujus loci: quem minime assecutus fuit in-
terpres Georgius Valla. Nec vero quis miretur, Syna-
gogas à me scholarum ordinis accensitas. Recte enim Philo:

Philo le- τὰ γένη κατὰ πόλεις φρεσκωπήεια πὶ ἐπεργὸν ὅτιν η δίδασκαλεῖα Φρε-
gat. ad νέσεως καὶ ἀνδρείας καὶ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης, ἐνσεβείας τε καὶ
Caium. ἑπάτητος καὶ πυπτήτης Λυκίων. Εγκεκὼ πορταρίκη καὶ β

οσιοτητ^α και συμπασης δεσμης. Et vero non tantum verba Legis divinæ ac Prophetarum in iis legi sed etiam exponi populo solere notissimum est. In privatissimis casis item

populo solere, notissimum est. In privatis scholis item Legis interpretatio docebatur: sic satis inepte quidem plaz.

rumque, a Phariseis cum primis & Sadduceis, magna tam
en cura, nec exigua in vulgus opinione. Vtrobique illi
nihil de aliis iudicat, sed solum de his, quae dicitur.

qui docebant, interim dum verba divina Codicis legerentur, stetisse quidem, inde autem sedisse videntur; & quidem

in cathedra aliquando editiore. Huc sane spectare meritò
dixeris illa: Δῆμος Μωάεως να θέσεις ενάργειαν οι γεγυματεῖς καὶ

*οἱ Φαρισαῖοι. Cathedra nimis illa professoria audivit
Mosis cathedra; cum quod ex illa lex Mosis doceretur, tum*

fortassis quoniam magistrorum magna pars sibi metis paret pene atque Mosi auctoritatem arrogaret. Verum

hoc prolixius enarrare alienæ est operæ.

Matth.
xxiii, v. 2.

cendi munus incumbebat, (quod proprius nostro argu-
mento est) illos in id non nisi certis legibus certisque
ritibus admissos, non utique sine manum impositio-
ne, dixeris: quoniam idem observaverint in Ecclesia-
rum doctoribus Christiani. Extra ordinem fateor &
aliis interdum factam facultatem verba ad populum
faciendi, archisynagogi permisit. Quale legimus &
Christo nostro & sanctis Apostolis contigisse. Et-
iam sic tamen delectus aliquis indubie est habitus.
Observatum hoc ipsum fuit etiam Tertulliano. Sed eis
(inquit) pa& sim Synagoga adiretur, non tamen ad docendum,
nisi ab optime cognito, & explorato, & probato jampridem
in hoc ipsum, vel aliunde commendato.

Tertull. I.

4. contra
Marcion.

In Privatis scholis (saltim nonnullis, & quidem Phari-
ſeorum maxime) videtur itidem probatis discipulis colla-
tus publico testimonio titulus Magistri aut διδασκάλης sive
Rabbi. Et quidem Judæi ferunt neminem hoc cogni-
mento olim Hierosolymis audivisse, nisi qui à Synedrio
testimonium doctrinæ accepisset. Verum hoc vix est
verosimile, utpote quum Synedrii partem Sadducæi non
minus quam Pharisei fecerint. Ecquis sane crediderit, Sad-
ducæos admissos in probationem magistri Pharisaici, cu-
jusmodierant plerique eorum qui Rabbi indigerabantur?
Sed & ipsimet Judæi fatentur, ἐν ταῖς διαταρεῖς testimonium
à scholarum præfectis dati solitum, perinde ut nunc mos
obtinet. Eoque non est quod suspicemur, plane aliud quid
Hierosolymis fuisse observatum, quum Hierosolymita-
nos magistros reliquis prælatos esse, haud queat temere
reddi probabile. Hi verò sunt illi in Evangelicis monu-
mentis alias appellati, γερμαναῖς quidem passim, sed non
nunquam & ρωμαῖς. Falli enim Epiphanius dum existimat

γερμαναῖς fuisse sectam aliquam Judaicam, qualis erat

Q 3

Phari-

Vide Syn' Pharisæorum Sadducæorum & Essenorum, falli item Sca-
 iud. Bux-
 torf, c. 7 &
 ligerum Maldonatum & alios, qui νομικὲς interpretantur
 Christian aëtuarios publicos; multis heic probare, nihil attinet.
 Gerson. Hi porro sunt celebres in Evanglica historia Rabbi,
 Thalma-
 dis Iudaici διδάσκαλοι, ac νομοδιδάσκαλοι. Nihil insolentiæ sapientibus
 l. 1. cap. 27. vocabulis, nisi ab ipsis iam tum olim fuisse vulgo persua-
 pag. 256. sum, eos qui cognomentum illud meruissent omnino ta-
 & l. 1. c. 15. les esse à quorum sententiis nemini ex populo fas sit dis-
 pag. 522. sentire. Quapropter illo demum sensu id genus tituli à Sal-
 vatore nostro sunt damnati; quoniam scilicet revera ipse
 unicus ejusmodi nominis mensuram implebat, unus tunc
 Gerson. ex divinorum dogmatum conditor & ἀντλήτης interpres.
 Zema: h. David. p. Ferunt Judæorum nonnulli, circa Christi nostri ævum
 241. & 251 paucis aliquot, interque eos potissimum Simeoni & Ga-
 malieli, datum augustius nomen Rabban, sed quod postea
 obsoleverit tanquam majus subsequentis temporis captu.
 Ante hos ducentos tamen annos exemplo Christianorum,
 qui non Magistros tantum sed & Doctores honorant, ite-
 rum ordo & gradus sapientium major introductus est, qui
 Maranan (quasi tu dicas, Christianos inter Europæos re-
 ceptatum consuetudine, Magistri nostri) nuncupantur.

IN mores itaque Judaicos intuens haud injuria for-
 tasse dixeris, apud hos Academica nostra instituta quasi pri-
 ma sua vestigia posuisse. Nec tamen temere affirmaverim,
 ad eorum exemplum nostra hæc composita esse. Vtut
 longè sit verissimum, Christianorum ECCLESIAS ex
 Synagogis Judaicis enatas esse. Enimvero ut ritus sa-
 cros Baptismi cum primis & Eucharistiæ, ex Judaicis non-
 nihil deflexos suos fecit Christus ipsem, ita & nihil
 olim moris laudabilis habuit Synagoga quod in usum
 Ecclesiæ non sit receptum; sic constituentibus ipsissimis
 Apostolis, Placuit videlicet & his publicum illud scholæ
 sacrae

sacræ popularis genus; cuiusmodi gentilitas omnis nusquam quicquam habuit. Nec aliud pene in Ecclesia datum munus Episcopo, sive τῷ ἀρχεῖῳ, quām quale fuit archisynagogi; officium & nomen idem τῷ πρεσβυτέρῳ; qui διάνοιᾳ Ecclesiæ ille Synagogæ fuit ὑπαγένης. Hinc & ordinatio ad Synagogæ exemplum instituta est per χειροθεσίας, accedentibus precibus: qui erat ritus communis Ju-dæorum invocandi Deum super aliquo homine. Nec initio displicuit mos, etiam extra Presbyterium positis concedendi nonnunquam, facultatem docendi in corena. Ceu apparet ex iis quæ differuntur in primæ ad Corinthios epistolæ decimoquarto capite. Imo alibi ille sat est diuretentus: quod discimus ex Eusebio, qui Originis aliorumque exemplo probat, λαμπεῖς ὅμιλαιν τὸν ἀρετὴν, id si fiat τῇ τῷ ἀρχεῖῳ θήτερῃ.

Ast Privatum illud alterum Judaicæ scholæ genus nusquam à primis quidem Christianis introducendum, nisi forte Alexandriæ, ex instituto S. Marci. Ibi sane in usu fuit jam tum secundo seculo sub Ammonio & Pantæno magistris. Collatio tamen tituli magistralis, quæ Judæis ita recepta erat, ne ibi quidem probare se potuit. Indubie quod hujusmodi nomina à Judæis in ambitiofum sensum usque adeo tum essent corrupta, ut sine superbiæ sive nota sive opinione, illo quidem tempore, in usum trahi commode non posse viderentur. Quapropter etiam verosimile non est, ad Judaicos mores respexisse eos, qui primi hoc ipsum inter Christianos instituerunt. Quamvis alicubi Magistris nostris qui appellantur haud minus pene à quibusdam attributum videas, quam Judæorum Rabbini sibi arrogaverunt. Quæcunque vero caussa primos Christianos fecerit abstinere passim ab illo altero scholarum sacram

Hieron. de
scriptorib.
Ecclesiast.

rum

rum genere: id certum est tamen, ab initio usque Ecclesiæ, Presbyterorum, adeoque doctorum Ecclesiasticorum, creationem aliquam, per solennem manuum impositionem, unice semper & probatam & observatam esse. Nec minus constat, Iudeos non tantum Synagogicos magistros, sed & alios *rabbinos*, sive Rabbinos, jam per secula complura singulari quodam ritu constituisse. Et vero ho-
 Christ.
 Gerson. l. i.
 Thalmud.
 Iudaici c.
 27. p. 257.

dieque idem inter illos obtinet. Qui enim dignus credi-
 tur isthoc nomine, ille à primario cuiusque loci Rabbino
 in Synagoga publice talis proclamatur, addita excom-
 municationis comminatione, si quis aut nomen aut ho-
 norem Rabbinorum ordini debitum haud illi deferat. Id-
 que ipsum scriptis tabulis confirmatur. Iudeis ceremonia
 hæc Semichut appellatur: quod ita creatus Rabbi jam
 talis existimetur, cuius sententiis tutò liceat fidere.
 Quam ineptis verò sæpen numero titulus ille conferatur, ne
 ipsi quidem Iudei audent diffiteri; ceu liquet ex iis quæ
 de Rabbi Abrahami Cabalistico libro translulit Chri-
 stianus Gerson, Iudaici sanguinis & doctus & pius scri-
 ptor.

VERVM Iudaicis illis enarrandis fortasse nimis diu
 immoramur. Ad ea quæ reliquimus tempora ROMA-
 NI IMPERII redeat oratio nostra. Ac florentibus quidem
 Romanorum rebus nec in Græcia nec alibi jam obtinu-
 isse nostrum hunc creandi doctores morem, nec alios
 tum doctrinæ magistros sive doctores audiisse, quam qui
 reapce docerent, omnes meministis, à me liquido osten-
 sum esse.

Exceperunt autem eam ætatem, collabascentibus Roma-
 ni Imperii fulcris, MAHVMEDANORVM studia. Quan-
 quam vero alijs uberioris sit narratum, eam gentem scho-
 larum institutione atque in literas liberalitate longo in-
 tervallo

tervallo Græcos pariter ac Romanos superasse: illius tam
tem nostri moris vestigia ego quidem in illorum monu-
mentis hactenus nulla reperi.

Fortassis tamen dixeris, ab Arabibus Muhamedanis ad Ta-
taros, ab his ad Sinenses profluxisse, ut alia ita etiam id quod
hodieq; in nobilissimo SINARUM regno Mandarinis aliiq;
Sapientes Indorum istorum observant. Prolixius nonnihil
illud Jacobus Pantogia perscripsit in Europam ex illa ipsa
remotissima orbis parte: licebit tamen fortassis in hac pa-
negyri integrum viri narrationem recitare bona audito-
rum pace. Uti obiter liqueat, quantum & illæ gentes cum
nostris institutis convenient sive ab iis recedant. De magistris (ait Pantogia) nibil constitutum est publicè, sed docere cuilibet licer: & dare operam cuilibet magistro, in singulorum est manu. Proinde carent etiam ratione explorandi à primo eorum doctrinam, qui in nullo adhuc litterario honore sunt: sed quicumque eò evehi studet, quolibet tertio anno ad urbem provinciae caput sponte proficiuntur. Vbi magnus eorum numerus, qui id experunt, probatur & excutitur. Atque ex iis ijs soli in optato gradu colloquuntur, quorum compositissima scripta judicata fuerint: reliqui vacui domum redeunt, certi, studias urgere diligentius, qui proximis comitiis probare se judicibus, & honorem adipisci possint. Tres sunt eruditorum gradus, tribus illis nostris similes Baccalaureorum, Licienatorum, Doctorum. Omnium horum candidatis eadem præcipitur ad scribendum materia, & scribendi modus. Traditur illa pridie, confessimque omnes in amplissimas aedes deducuntur, ubi conclaribus inter se disclusi nullam facultatem, vel verbum inter se conferendi. Adboc hominem certum singulis adjungunt, qui eos cum quoquam loqui vetere, carentque studiosè ne quis vel chartam digitali longitudine secum afferat, qua in re valde sunt severi. Nihil iis

R.

dans

dant præter atramentum, chartam, & lucernam: desinunt viginis quatuor horas, intra quas orationem elaboratam esse oporteat. Ea res sic homines sollicitos habet, ut nonnulli elapsis virginis quatuor horis, ita confecti consumptique prodeant, ut paulo post intereant. Quod potissimum Licentia & Doctoratus petitoribus solet accidere. Ceterum quamvis confecta abesse orationi qui liber nomen suum adscribat, judices tamen & Mandarinis ea non inspiciunt. Adhibent siquidem celeres librarios, qui quod singuli scripserunt, omisso nomine, describant; ac deinde ipsa autographa claudant obsignent & diligenter custodian. Apographa dantur judicibus, hominibus omnium eruditissimis. Qui signari cuiusnam sit quodlibet opus, neque ullo relictæ gracie loco, sincere ea scripta diligunt, & seponunt quæ ornatoria censuerint. Vbi renunciandi sunt qui puncta rulerint, autographa cum apographis comparant, atque ita quinam ii sint, cognoscunt & promulgant. Qua in re tam sunt attenti & cauti, ut quisquis alius doli compertus suspectusve fuerit, loco suo moveatur: si licet unus quispiam principum Mandarinorum. Quod in altero & tertio gradu observatur severius. Primum gradum asecutus, multis ipse universaque familia facultatibus immunitatibusque eximus est: sed eum necesse est tamdiu judicibus iterum atque iterum doctrinam suam pertinentandam præbere, donec tertium gradum contigerit; quod ea gratia sit, ne studium remittat. Hac necessitate non est astrictus, qui nec dum ullum eruditionis ritulum sustinet. Fit etiam sapienter, ut qui hac lege tenetur, neque tamen gnaviter incumbit in studia, de primo quem jam consecutus erat gradu, non sine probro & dedecore deturbetur: multi item, quod ultra ascendere nequeant, in primo consistunt. Eadem est alterius gradus ratio d eum. Accedunt, qui jam ad primum pervenerant, non tamen omnes, sed qui delectu habito ad examen admissi fuerint, quod priori longè est accuratius, & bono-

honoriscentius. Hujus alterius ordinis tot sunt in qualibet provincia, quorū Rex esse permiserit, qui ut quamque ornatam desiderat, quod majorem minoremve litteratorum numerum ferat, aut simili aliqua de causa, ita huius ei honoris facultatem indulget. In hoc honore constitutus, cum libuerit, Mandarinatu ornatur, & Reip. gubernaculis admoveatur: non tamen iis adhuc muneribus, quae tertio ordini propria sunt, dignus esse judicatur. Singulis qui pro tertio gradu periculum sui facere cupiunt, Mandarinī è pecunia regia certum ducatorum numerum dant, quod in regiam proficiunt, & specimen sue eruditionis, quod quolibet triennio fieri solet, dare possint. Qui sive frustrantur, iterum atq[ue] iterum expectant; dum tandem vel decrepiti, quod oprant, assequantur. Horum candidatorum numerus ita definitus est, ut plures trecentis quinquaginta esse non possint; quos inter censeri multa alterius ordinis millia certatim appetunt. Ad hunc ultimum starum qui pervenerit, nihil iam habet quod ultra progrediatur, neque in hoc genere quicquam arbitrantur accidere posse fortunatus. Ex his trecentis quinquaginta, proscriptionis cuiusque elegancia due classes eximiæ conficiuntur. Prior tres continet omnium præstansimos, quorum unus eminet. In hos Rex præcipue munificus: est ac simul electi sunt, et si etiamnum adolescentes sint, inter primos proceres palatii numerantur. Altera classis tringinta est vel quinquaginta reliquis insigniorum, qui Mandarini palatii fiunt. Qui supersunt sparsi per provincias, exemplò Mandarinatu & munere aliquo sive in regia sive foris in provinciis decorantur. Ut deinde compertum fuerit eos remperere, ita vel porro evanescunt, vel, quod interdum accidit, abjecti honoribus exuentur. Quilibet Doctor quamprimum eo honore poritus est, in patria sua adiutum liminibus eam domum Doctoris inscribit. omnes exinde ei domui honorem faciunt, & fores quibusdam quasi arboribus cingunt, quas singuli eius urbis

R 2

Manda-

Mandarini, cum expanso vexillo ad eum mittunt, atque inibi
perstante in posterum. Ei verò qui Doctorum primus renuntiatur,
arcum triumphalem per insigntem erigunt. Hactenus recitavi-
mus verba Pantogiae, fortassis abusi patientia vestrâ. Tem-
pus est ut longe dissitas illas gentes relinquamus.

In EUROPA M igitur atque ad nostra tempora pro-
pius ut accedamus; ab anno quidem usque octingente-
simo floruit Parisis Liberalium artium schola, cui non
multò post accessit Theologica: sed, ipsorum quoque
Parisiensium confessione, Titulorum illa collatio, primis
certe tribus seculis h.e. in annum usque millesimum cen-
tesimum, nullo in usu fuit.

Illo autem seculo duodecimo refloruit quoque iterum
Bononiæ demortua dudum Romani Iuris professio: fuitque
illa tempestate schola illa Regia unica in Italis pariter & Ger-
manis, qui soli scilicet Romani Imperij censebantur; ast jam
tum ibi nostra hæc sacra viguisse, nemo temerè probaverit.
Etsi enim haud nesciam, non nullos ejus rei institutum in Lo-
tharium Cæsarem aut Fridericum referre, quasi horum
aliquis primum Scholæ Iuridicæ Bononiensi eam faculta-
tem tribuerit: vereor tamen multum ut possit probari mo-
numentis priscis, neve ex quadam arrogantia isthæc asse-
rantur. Neque vero Authentica Friderici *Habita*. quæ le-
gitur Codice *Ne filius pro patre*, facit hic vel hilum: utpo-
te quæ de studiosis loquatur & quidem Legum maxime di-
sciplinæ deditis, qui nempe solum Bononiæ: de Doc-
toribus autem & Magistris, iis præsertim qui non prouinentur,
ne ydū quidem habeat.

Floruerunt autem eodem tempore in Neapolitano
regno duæ etiam insignes Medicorum scholæ; Salerni
altera, altera Neapoli. Qui tum rerum ibi est potitus
Roge.

Rogerius, Siciliæ utriusque (uti loquuntur) Rex & Sa-
lerni Princeps, singulari lege de *probabilitate experientia Medi-
corum*, lata, cavit quidem, ne quis medicinam exerceat nisi
prius à magistratibus & judicibus probatus; Idque ad-
eo, ut qui fecerit secus bonus omnibus spoliatur. Ve-
rum tamen hanc Rogerij legem nostris institutis Acade-
micas convenire, haud facile persuaseris; cum probandi
facultas non Artis Magistris sed magistratibus commit-
tatur. Proprius ad mores nostros accedunt Siculæ aliquot
constitutiones Friderici Cæsar, quas antehac ex hoc lo-
co à me recitatas forte adhuc meministis, itidem Artem
Medicam facturis præscriptæ. Iis enim jus potestasque
probandi omnes qui Artem velint exercere. Magistris
Salernitanæ scholæ tribuitur, adjecto certo & fixo quo. Vide supra
pag. 100,
dam studiorum Medicorum ordine. Sed & aliæ in me-
dium attulimus Ægidij Corboliensis de Salernitanis ejus
seculi Magistris querelam, quod docendæ faciendæque
Artis potestatem indoctis juvenibus committerent. Unde
perspicuum est, jam tum saltim haud multum nostræ con-
suetudini absimile quid, in regno Neapolitano, apud Me-
dicos quidem, inque schola Salernitana, auctoritate re-
gia incepisse. Verum enim vero Ægidii quidem illius æ-
tas in confinia seculi duodecimi & decimiertii incidit; &
Fridericus ille Cæsar non Barbarossa noster est sed ejus
nepos id nominis secundus. Eoque hisce testimonij tan-
tum hoc evincitur: illâ circiter tempestate in Medicis
scholis jaœta initia nostri moris. Et verò nondum hinc
liquet, num extra illud regnum idem obtinuerit: aut num
in aliis scholis perinde fuerit admissa probatio ista atque
exploratio idoneorum artificum.

Enimvero Alexandro III Pontifice, qui sedit ab
anno 1160 usque ad 1182, nullam fuisse Theologiae Ma-

gistrorum solennem aliquam lauream, liquido ostendunt, quæ continentur l. v. Decretalium tit. v. de Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Nam in canone quidem Concilij Lateranensis, Alexandro illo Pontifice habitu, simpliciter pronunciatur, ad docendum admitti debere omnem qui sit idoneus. Iplemet Alexander præcipit, ut quicunque viri idonei & literati voluerint regere studia literarum sine molestia & exactione qualibet scholas regere permittantur. Ne quidem verbulo autem significatur, idoneum quemvis probari debere post facta examina. Ab illo tempore usque annum cīc cc xxiiii itidem tale quid nondum fuisse usu apud Theologos quidem receptum, colligo ex ijs, quæ de Parisiensis scholæ, quæ unica sacram doctrinam tum exposuit, institutis paulò post ex Joanne File-saco recitabimus. Quò fit, ut haud liceat temere fidem habere Onuphrio narranti in *Chronico Ecclesiastico*, Inno-centium III Pontificem posteaquam in Parisiensi gymna-sio aliquandiu studiis vacasset, Doctoris Theologi hono-res ibi consecutum. Testatur tamen Gabriel Naudæus,

Naud. 1. de
Antiquit.
Scholæ
med. Paris.
pag. 18.

Vir Clarissimus & bibliotheca quædam ἐμψυχός, Grego-rium IX Papam Bullæ, Academiæ Parisiensi anno trigesimo primo seculi duodecimi (rectius dixisset decimitterij) missæ hæc verba inseruisse: *De Physicis autem & Artificiis Can-cellarius promitter, bona fide examinare Magistros, & non nisi dignos admittens repellere indignos.* Ex quibus manifestum est, tum quidem illam quæ nunc obtinet laudabilem con-suetudinem fuisse in usu; saltim inter Medicos & Philo-sophos. Si autem inter illos, quidni & in scholis Theo-logicis ac Juridicis? Quin simile est vero, auctore Grego-rio illo IX Papa, omne illud institutum coepisse, & hujus imitatione Fridericum II Cæsarem per eadem tempo-

ra i-

ra idem in regno suo Neapolitano à Medicis voluisse observari.

Quicquid sit; extra dubium est, seculo Christiano tertio decimo, apud Theologos, Jurisconsultos, Medicos, Philosophos honorum titulorumque collationem nostram usu receptam esse. Et quidem initium si non omnium saltim plororumque, fortasse factum est in GALLIA. Id sane inde fit probabile, quoniam vocabulum Bacalaurei merè Gallicæ est originis & usus: qua rāmen voce primi honores semper & passim terrarum post appellati sunt. Post inquam: nam & antehac fuisse sed alio sensu receptam, patet ex v. i. l.s. historiæ Glabri Rodulphi Cluniacensis in Gallia monachi,

Verum hoc sive credat quis sive neget, haud equidem in magno ponam discrimine. Satis mihi nunc est, recitasse verba Joannis Filescaci Sorbonici Doctoris, eti & alias à me adducta sint. Ita autem ille. *Philippe Augusto Filescæ, 1.
Rege (is autem Galliam rex ab anno usque 1180 usque ad de origin.
sequentis seculi 1223.) nulla aur paucæ leges, ut nec statutor.
ritus & formulæ ad curriculū Theologicum emerendū, vel Facultat.
Doctoralem lauream adipiscendam. Sed ut ego arbitror, prout Theologi.
que in rerum Theologicarum cognitione sub Theologis, qui publicas
habebant scholas, profecisset, communi velut auditorum consensu
ad libros Vereris aut Novi Testamenti sese accingebant. Idem 1. cit.
non multò post scribit: Cum sciolis quidam & qui vix Theologiam pag. 22.
degustassent illud publicum docendi munus ultero sibi arrogarent, Doctorum melioris nota qui cum erant iudicio, Ordo ille
Theologicus formam legitimæ societatis tam primum haberi cœpit. Hinc leges nonnullæ scriptæ & quidem ante annum trecentesimum supra millesimum; quodex utroq. codice MSS. nostrarum legum antiquiore tum recentiore confirmari potest. Hæc Filescacus. Et
recte*

recte quidem. Nam Parisiensis Theologicæ scholæ leges quod attinet, innituntur illæ magnam partem mori jam tum recepto interpretandi libros Sententiarum Petri Lombardi, hic vero ante Philippum Augustum regem non coepit. Eam sane legum istarum esse rationem agnoscit

Filesi. 1. c.

pag. 27.

ipsemet Filescus. *Ne in Facultatem Theologicam (ait) etiam imperii irrumperent: hinc sacra Theologica facultas in quatuor velut ordines distribuit, Magistrorum, Licentiatorum, Baccalariorum formatorum & Baccalariorum cursorum.* Inde publicæ exercitationes iudicæ (actus Theologicos appellant) *Expectatoria sive Expectativa, Tentoria sive Tentativa, Sorbonica, Ordinaria, Quodlibeta, Collationes, Disputationes in resumbris, & similia.* Iis Theologicis progymnasmatibus originem dedisse videtur quæ tum invaluit consuetudo, publice videlicet interpretandi libros Sententiarum. Ejusdem Filescaci verba etiam

Idem lac.

pag. 43.

hæc sunt: *Bibliae cursum dixere veteres, sacrae Scripturae tempus aliquod addictum.* Ab eo vero docendi munere Theologicum cursum suum ordiebantur nuperi ille Baccalarii Cursores, ac postea Sententiarum Petri Lombardi libros quatuor interpretabantur. Hinc nata illa distinctio Baccalareorum apud majores, ut alij Biblici, alii Sententiarii nuncuparentur. Hujusmodi profecto leges ante seculum tertium decimum non sunt conditæ. Nec vero antehac quisquam in Magistrum

Trith. 1. de

scriptorib.

Ecclesiast.

Sententiarum est commentatus. Trithemius sane primo attribuit. Nec Sorbonica quæ nuncupantur fuerunt utique ante Robertum Sorbonam. Adhoc si ceremonias videamus, ante Innocentium IV Papam non videtur fuisse in usu pūpureus galerus Doctoralis, utpote quum huic Papæ ipsimet Cardinales galerum suum debeant te-
vit pontif. ste Papirio Massono. Princeps quoque Nicolaus IV Papa ferrur

fertur Parisiensibus indulisse, ut ibi approbati Doctores facultatem habeant ubique docendi, legendi, regendi, quodque alibi debeant pro Doctoribus aestimari. Id quod inter Doctorum privilegia præcipuum est. Et tamen non est verosimile alibi coepisse, antequam Parisina illa nobilissima omnium schola tanto beneficio est affecta. Meretur vero & hoc notari: File sacrum diligentissimum scholæ suæ antiquitatum indagatorem, ex monumentis sive tabulis vetustis laudasse non nisi duos, qui ipso seculo tertio decimo Theologiae Doctores Parisis creati sint, Aegidium nempe Columnam quem Romanum vulgo nuncupamus, Thomæ Aquinatis discipulum ac sectatorem, & Petrum de Tarantasia, illum qui Pontificatum indeptus Clemens IV postea audivit. Non quod non plures ibi integro seculo titulum illum sint consequuti, sed quod certis testimoniorum destituamur; si accurate morum nostrorum tempora fuerint definienda. Quod tamen nisi fiat, omnia confuse docentur: quemadmodum ab imperitis coquis jura confundi solent.

Verum quod Parisis quidem pene jam ab initio usque seculi tertii decimi omnis generis Doctores fuerint creati, satis superque est manifestum. ALIBI terrarum, ubi similes Scholæ tum floruerunt, itidem statim hoc ipsum invaluisse, nihil est cur dubitemus. Certè circa initia seculi quarti decimi passim malos mores in laudabile hoc institutum irreplisse jam, liquidò apparet ex Concilii Vienensis decreto illo quod inter Clementinas suas promulgavit Clemens V Pontifex. Non possum non illud hic recipere, quoniam rem omnem mirificè illustrat, simulque ostendit, quam facile optima quæque instituta degenerent, nisi exacte caveas. *Cum sit nimis absurdum (ait Papa)*

S

ut quis

ut quis cum vanitate & imperitia ad honorem ascendat peritia le-
zerarum: non sine turbatione miramur, illum apud Scholasticos in-
valuisse abusum, quod plerique eorum, qui in quavis scientia ad Do-
ctoratus vel Magisterii assumuntur honorem, quum sua solenniter
principia faciunt aut sui recipiunt insignia Doctoratus, circacibos
vestes & alia sic in expensis excedunt, quod & ipsi, transiente ex-
pensarum hujusmodi vanitate, vacui plerumque remaneant & gra-
vare: & ceteri, qui vel nolunt vel nequeunt similes expensas
subire, hac occasione frequenter à receptione honoris hujusmodi
retrahuntur. Volentes igitur de opportuno super his remedio
providere, illis ad quos ubilibet perirent honorem tribuere memo-
ratur, districte precipimus, ut quoscunq; ab eis de cetero dictum
recipientes honorem juramento prius adstringant, ne ultra tria
milia Thuronens. argenteorum in solennitate circa hujusmodi Do-
ctoratum aut Magisterium quomodolibet adhibenda expendat.
Ipsosq; nibilominus (nisi forsan nobilis conditionis extiterint) ut
intra summam predictam hujusmodi moderentur expensa, effi-
cacter adhortantes, ac, si hoc illorum congruere statui viderint,
juramentum exigentes ab eis, quod certos intra summam prefa-
tam taxandos ab ipsis expensarum terminos non excedant. Si
quis autem Pontificali etiam dignitate præfulgens, non recepto
prius juramento prefato, honorem cuiquam tribuerit supradi-
ctum, à collatione Magisterii seu Doctoratus cuiuslibet, per sex
mens sequentes eo ipso neverit se suspensum. Hactenus Cle-
mens. Cujus verbis claudam nunc quem hucusque insti-
tui sermonem: præsertim quum dudum senserim vocari
me ad illud quod huic panegyri maxime est proprium, ut
nimis eximiis hisce duobus viris promeritos honores
publice conferam.

DISSE-

DISSERTATIO QUINTA.

HABITA II JANVAR. ANNO CIC IDC XL.

Cum Magistratus Academici munus
aggrederer.

Non non levi sane negotio hodie versamur, quando civitatem hanc Scholasticam, tam numero florentium civium cœtu insignem, regendi administrandi potestas ab uno in alium devolvitur. Omnia enim spectantibus Academiarum scholarumque instituta, nescio an quid aliud sive augustius, sive quod magis in rem sit eorum qui literis dant operam, temere possit occurrere. Enimvero multa præclara ab Ægyptiis, Chaldæis, & Persis, à Græcis, à Romanis, ab Arabibus, ab aliis gentibus in literarias scholas illas maximas collata fateor: nihil tamen animadverti haec tenus, quod mereatur comparari cum juris illa dicundi potestate, qua nunc Academiæ quæ vocantur in primis gaudent. Vel hoc uno certe felicior hodie conditio est discentium ac docentium, quam olim. Tametsi enim magno in pretio olim fuisse literatos viros, ac in primis magistros melioris doctrinæ certum sit, nec egeat probatione; ad hunc tamen felicitatis gradum ne aspirare quidem tum licuit. Certe nihil simile observare est in omnibus retrò seculis, apud omnes gentes; ne apud ipsos quidem Græcos, qui tamen vulgo creduntur eruditionis maximi cum cultores tum æstimatorum. Jam tum sæpe numero à me hoc ex loco eade re verba facta sunt. Ostensum enim, quam vilis olim etiam apud ipsos Græcos fuerit hominum doctorum conditio: longe vero hos

S 2 supera-

superatos ab Ægyptiis, ab Arabibus, à Persis, aliisque populis, quos illi Græculi uti barbaros contempserunt. Deducta porro est per omnia secula ad usq; duodecimum Christianæ æræ scholarum omnium historia. Ex qua luculente, nisi admodum me fallo, patuit: cum multa alia instituta quibus hodie stant potissimum vigentque Academicæ respublcae, haec tenus fuisse ignota: tum & propriam aliquam jurisdictionem Academicam neutquam fuisse in usu.

Et vero ut posterius nunc multis iterum probemus, nihil est profecto caussæ. Si cui tamen nondum in merito meridie sol ille veritatis lucet, primum cogitet, quod in nullis monumentis antiquis legere sit, animadverendi in juvenes deditos studiis literarum fontes vim potestatemque seorsim aliis quam qui civili magistratu funguntur concessam esse. Ut autem memoria ejus rei inter tot doctorum scripta ad nos non pervenisset, si illa obtinuerisset usquam, & est τὸν ἀδωμάτων. Cogitet deinde, quem admodum ipsæ Romanæ leges, quæ tamen immunitates & salario magistris decreverunt, secus quam factum fuerat à Græcis, cum aliorum magistratum tum Decurionum judiciis ipsosmet doctores subjecerint. Seculo quarto, quo tempore maxima fuit sub Romanorum quidem Imperio literas colentium libertas, ipsis Athenis Atticis Proconsuli paruisse Professores omnes & quæ ad eorum cathedras pertinent, luculente appetet ex iis quæ de Proæresi in Sophisticam cathedralm cooptatione prolixè narrat Eunapius Sardianus. Ipsius quoque Scholasticæ juvenitatis animadversionem unius fuisse Proconsulis jus, itidem discere est ex iis, quæ idem scriptor ἀτόπης disserit in vita Juliani Sophistæ, de tumultu per studiosos quosdam excitato, & super illa re instituto à Proconsule publico

Eunap. de
vit. Soph.
in Prozre.
fie.

publico judicio. Constantinopoli studiosam juventutem sub jurisdictione Praefecti Urbis, Beryti item sub imperio Praesidis Phoeniciæ maritimæ fuisse, idque ipsomet Justiniano approbante, liquet ex iis quæ à Cæfare isto sunt constituta in eos, qui serviles nonnullos ludos petulanter exercebant. Nam quod Beryti & Episcopus & Legum Professores in partem fuerint tracti à Justiniano, id videtur ad solam illius petulantiae coercitionem pertinere. Verba Cæsariorum sunt: *Et haec omnia in hac quidem florentissima civitate, vir excelsus Praefectus hujus almæ Urbis tam observare quam vindicare, prout delicti tam juvenum quam scriptorum qualitas exegerit, cura habebit. In Berytiensum autem civitate, tam vir clarissimus Praeses Phœniciæ maritimæ, quam beatissime ejusdem civitatis Episcopus & Legum Professores.*

L. omnia
Cod. de ve-
teri jure e-
nucleando.

Quantum apparet, seculo demum duodecimo cœpit reipublicæ hoc scholasticæ genus constitui. Inde ortus hic splendor. Inde haec felicitas nostra. Quidni enim in felicitatis parte collocemus, quod rudium imperitorumque hominum, qui plerumque literaris literarumque studiosis minus esse æqui solent, foro & judiciis subducti simus? Sub initium ejus seculi universa Europa unicam duntaxat habebat scholam publicam Parisiensem, qua rudior quædam & Philosophia & Theologia, ut tum erant tempora, non male docebatur. Non multò post doceri publice Bononiæ in Italia cœpit Jus Civile Justinianeum, cuius per quam multa secula auctoritatem ipsi Itali & Romani vix leviter observaverant. Id factum ne sit publica Cæsariorum lege, quod vulgo persuasum est, an privato potius Irnerii studio aliorumque consilio, non ego nunc dixerim. Neq; enim huc attinet dijudicare: & alibi id jam tum multis est disputatum. Quicquid autem hujus sit, id

Videlib. de:
Orig. Iur.
German.
cap. 21.

S 3

vide.

videtur constare, ibi primum jurisdictionis Academicæ fundamenta jacta esse.

Vide tem. **ANNU**s agebatur à nato Servatore post millesimum
pus ipsi Au- centesimum octavus quinquagesimus, quum in Roncaliis
thentice Subscriptū. (qui campi sunt Italiæ late parentes supra Padum, non pro-
cul à Placentia, loco conventibus publicis Imperii proce-
rum olim per celebri,) comitia celebraret prudentissi-
mus fortissimusque Germanicorum Cæsarum Fridericus
primus, is qui vulgo cognomento Barbarossa audit.
Bodin. I. 3. Vim sane Authenticæ verbis faciunt, qui omne hoc nego-
de republ. cium Friderico II attribuunt: et si hunc avo doctorem
Rubuff ad fuisse adeoque literatorum ordini impense favisse, lu-
Authent. bens & ultro confitear. Sed jam eo, quo diximus, tem-
pore, videntur multi studiorum gratia patriis laribus re-
licitis ad illos eruditionis mercatus quidem commigrasse,
qui tamen interim à vilissimis sæpe hominibus, qui lite-
ratorum ordini nescio quo naturæ vitio solent esse infen-
si, indignis modis haberentur. Ei rei uti occurreret, ut-
que im posterum meliore conditione viverent Scholastici,
tulit Cæsar laudatissimus, *habita* tamen, ut ipse loquitur,
super hac re diligenti inquisitione, Episcoporum, Abbatum, Ducum,
omnium Judicum (qui scilicet præerant iudiciis liberarum
Italiæ urbium) & aliorum Procerum sacrí palatij examinatione,
illam authenticam, quæ *Habita* audit, & Cæsare ita volen-
te Codicis Justiniane titulo *Ne filius pro patre annexa est.*
In qua & alia nonnulla sunt iis qui studiorum gratia pe-
regrinantur concessa, tum illud in primis, quod *erepti in*
doctorum hominum foro, optione data, vel Episcoporum
vel Dominorum loci vel Magistrorum, jurisdictioni se
subjecere tum potuerint. Verba constitutionis Cæsareæ
digna profectio sunt quæ hic audiantur, atque expendantur

accu-

accuratius. Verum tamen, inquit Imperator, si litem eis quisquam super aliquo negotio movere voluerit: hujus rei optione data Scholaribus, eos coram Domino, vel Magistro suo, vel ipsius civitatis Episcopo, quibus hanc jurisdictionem dedimus, conveniat. Qui vero ad alium judicem eos trahere tentaverit, etiam si causa iustissima fuerit, à tali conamine cadat. Hæc sunt illa verba quæ Academicæ jurisdictionis exordium præbuerunt. Exordium, inquam, & occasionem primam. Nequaquam enim cum illis possum facere, qui omnem Iurisdictionis Academicæ vim constitutione hac unice nituntur. Ignari, non esse eam legum istarum auctoritatem, uti & sequentia obligare secula possit, aut populos Imperio Germanico minime subditos. Qui & hoc ignorare, aut certe non attendere, videntur, à sententia illius constitutionis eam, qua nunc gaudent Academicæ, juris dicundi consuetudinem, haud parum diversam esse. Ac prior quidem error & jam alijs est à me castigatus, & quoniam valde est communis, patetque latissime, ac resplicas multas jam convulsit, nec non imposterum queat convellere, iterum uberioris aliquando est refellendus. Sunt enim qui illis Cæsarum legibus parem pæne vim adscribant atque æterno naturæ juri divinisque cœlitus latis constitutis. Qua opinione tamen fortè nec absurdius quidquam est nec in publicum exitiosius. Cæterum quam diversa sint mens illius laudatissimæ Authenticæ à consuetudine ac moribus jurisdictionis Academicæ, quæ nunc passim obtinet terrarum, non difficile est videre, si quis verba constitutionis cum iis quæ obtinent velit contendere.

Fortè autem operæ fuerit pretium, si vel ego brevibus nunc exponam Authenticæ sensum: quoniam in hunc campum sentio me deferri, nec ab hoc die id alienum est.

PRIMO

PRIMO autem loco occurunt observanda illa: si dicem eis quisquam super aliquo negotio movere voluerit. Enim vero quinam intelligentur voce eis, facilè ex Sequentibus constat Authenticæ verbis, ubi soli scholares nominantur, quotquot nempe studiorum causa peregrinantur. Etsi enim ante & Professorum facta fuerit mentio, hæc tamen optio fori ad solos Scholares diserte restringitur. Quo patet, tum quidem, atque hacce authenticæ Professores nondum à foro civili esse liberatos. Id verò in primis notandum, respexisse hac constitutione Cæsarem Scholares (hoc nomine autem Italis veniunt hodieque illi qui nobis Studiosi aux Studentes vulgo audiunt) & quidem illos, qui studiorum causa peregrinantur. Ex quo facile est concludere, voluisse Cæsarem pertinere hæc privilegia ad Scholares, non tantum quando degunt in locis ubi scholæ habentur publicæ, verum etiam si alibi degant, modò in itinere sint & studiorum gratia peregrinentur. Nam profecto & qui est in iteri nere peregre est. Ita autem interpretanda illa Cæsaris verba, cum consuetudo loquendi indicat, tum scopus Cæsaris, qui peregrinantum securitati voluit consultum, quæ in ipso itinere vel maxime laborat. Ut nunc taceam in eadem constitutione diserte dici, beneficium Scholaribus indulgeri, ut non tantum iis in locis, in quibus literarum exercentur studia secure vivant, sed etiam *ut ad illa* veniant.

Scholaribus ergo seu studiosis qui studiorum gratia peregrinantur, ubi ubi vixerint, si quis litem velit intende re fori optionem dat Cæsar. Nec verò est quod miremur, optionem esse datam fori. Erat quippe isthac ætate consuetudine receptum apud Italos, per omne Longobardorum regnum, ex Lotharii primi Cæsaris instituto, liberum arbitrium eligendi etiam Jura ipsa sive Romana, sive Langobar-

gobardica sive Salica Francorum, secundum quæ licebat
cuique vivere & in judicium tracto judicari, si id publice es-
set professus. Eoque fori optio nihil tum quidem insolens
habuit, aut à moribus alienum.

Est autem paulo pressius videndum, quâ de LITE
Cæsari sermo sit. Per moltum enim refert. Potest e-
nim lis intendi & de caussa criminali, & de caussa civili,
& de caussa ecclesiastica. Quæ profecto differunt pluri-
mum. Perdifficile autem fortassis est exponere Cæsaris
mentem: cum interpres doctissimi diversa admodum
sentiant. Ut autem quid ipse existimem præfiscini sub-
jungam: principio arbitror nequaquam agere Cæsarem
de caussa quæ ad forum Ecclesiasticum etiam perte-
nuit. Nec enim, quæ tum erat facies reipublicæ, licuit
amplius Cæsari caussam à foro Ecclesiastico deducere.
Tum verò ideo fori optio data studiosis, ne ab hominibus
indoctis patientur injuriam: id autem de Ecclesiasticis ju-
dicibus, Episcopis inquam, vel suspicari, illa profecto tem-
pestate, fuit nefas. Accedit quod Cæsar dicat, sese *Ma-
gistro & Episcopo* in controversiis Studiosorum jurisdictionem
dedisse. Non autem datur alicui illud quod jam ha-
bet. In Ecclesiasticis autem negotiis jam habebattum
Episcopus jurisdictionem.

Cæterum major controversia est de causis criminalibus,
an & illas comprehendenter Cæsar *littor* voce, nec ne. Neque
enim desunt qui usque adeò id negant, quasi non tantum
Cæsar de criminalibus non fecerit verba, verum etiam qua-
si non potuerit facere; quod scilicet merum imperium, ad
quod spectant criminales caussæ, concedi nullo jure pos-
sit vel debeat Academico collegio. Non desunt contrà
qui prorsus aliud profitentur. Quorum omnium argu-
menta cum alii recitant tum prolixè refert Matthias Ste-

T

pha-

Steph. l. 3.
 de Jurisd.
 part. 2.
 cap. II.
 I.
 2.
 3.
 4.
 Petri. de
 Vin. l. 3.
 epist. II.
 phanus. Cæterum inter hæc dissidia medium sequi sen-
 teatiam fortè fuerit tutissimum. Videtur enim, ut falsa
 est illorum opinio, qui merum imperium Academiis o-
 mnibus adjudicant, quasi aut concessum nulli sit aut con-
 cedijure nulli possit: ita & illos permultum falli qui in au-
 thentica hac Friderici meri imperii causas quoque intel-
 ligi volunt. Non patitur institutum, terere nunc tem-
 pus diversarum partium rationibus aut examinandis aut
 refellendis: satis fortè est, eas quæ me ita faciunt sentire
 in medium proponere. Et verò quum Cæsar diserte tan-
 tum dicat, *si quis litem eis super aliquo negotio intenderit*; quis
 non statim intelligit de civilibus & pecuniariis negotiis
 solis sermonem esse, neutiquam vero de capitalibus? De
 his certè non valere voces *negotii* & *litis* sed de illis, cum
 aliâ consuetudo loquendi indicat, tum optime monitum
 jam olim est à Juris Romani magistris *l. litis ff. de verbor.*
significationibus & alibi. Deinde dicit utiq; Cæsar nihil aliud,
 quam se jurisdictionem dedisse Magistro & Episcopo. At
 jurisdiction non est merum imperium. Quique dat tantum
 jurisdictionem merum imperium non dedisse censendus
 est. Profecto si & hoc imperium illis concessisset Cæsar,
 non præteriisset hoc utique saltim verbulo monere. Non
 enim interpretatione nimis benigne ampliandum est
 Cæsaris donum, ut quod conjunctum sit cum deminuti-
 one quadam jurisdictionis quæ loci domino competit.
 Quid quod Fridericus secundus Barbarossæ nepos Nea-
 politanam Academiam instituens expressis verbis ita san-
 ciat? *Omnes Scholares in civilibus sub eisdem Doctoribus & Ma-*
gistris debent conveniri. Quæ sanctio habetur apud Pe-
 trum de Vineis Cancellarium illius Cæsaris, libro episto-
 larum tertio. At hoc Friderico II nullus Germanici
 san-

sanguinis Imperator aut doctior fuit, aut literatis literarumque studiosis magis favit. Qui ergo ad civilia sola restringerit quæ avus Cæsar, fortis quidem indoctus tamen, etiam ad criminalia extenderat? Taceo nunc, vel illud solum fortè sufficere huic sententiæ probandæ, quod antiquissimi legum interpretes & qui proxime à Friderici I ævo absfuerunt, ad sola civilia privilegium hoc restringant. Est autem in primis maximi ponderis interpretatio illa, quæ ævo legis scriptæ quam est vicinissima.

In solis itaque CIVILIBVS negotiis & litibus optionem concessit Cæsar Studiosis judicem sibi eligere, & quidem ceu videtur unum ex tribus, non autem alterum duorum. Repetamus verba Cæsaris quo res fiat expedita. *Hujus rei, inquit, optione data scholaribus, eos coram Domino, vel Magistro suo, vel civitatis ipsius Episcopo, quibus hanc jurisdictionem dedimus, conveniat.* Quibus verbis tres profecto optione data in judices proponuntur: Dominus scil. loci, Magister Scholastici, & civitatis Episcopus. Certe accurate verba examinati non potest non videri, Cæsarem liberum reliquisse Studio, non tantum velit Magistrum suum an potius Episcopum judicem, sed etiam velitne judicem Dominum loci.

BREVITER itaq; omnia ut comprehendam, hic veterorum genuinus esse sensus videtur. Omnes Scholares qui studiorum gratia peregrinantur, ubicunque etiam degerint, si quidem super aliquo civili negotio convenienti sint, optionem habeant judicem sibi in lite intentata accipere, aut Dominum loci cui alias jam ante competebat jurisdictione, aut Magistrum, aut denique Episcopum illius civitatis ubi lis intenditur; quibus peculiari indultu Cæsar juris dicundi potestatem largitus est. Hic inquam est sensus nobilissimæ illius authenticæ, sine

T 2

amore

amore, & procul affectu partium illarum in quibus ipse vivo, quibusque adeo me studere plurimum haud difficit, paucis & simpliciter expositus.

Omnino autem illius Authenticæ sensus genuinus tenendus nobis est eo accuratius, quoniam illi originem debent Academiæ omnes Europææ, non tantum, dico, Romano Imperio quæ accensentur, sed & quotquot reperiuntur alibi, sui quo fruuntur liberi regiminis. Et vero ad hoc exemplum demum constituta est libertas NEA-POLITANÆ omnis generis disciplinarum Scholæ, illa quam nacta est beneficio Friderici II Cæsaris. Non multum ante mentionem ejus jam fecimus; meretur autem res ipsa, nec alienum est ab hoc loco & instituto sermone, uti recitemus omnia privilegia Academiæ illi tum concessa, prout paucis illa comprehenduntur in optimi illius Cæsaris literis publicis quibus Scholares, uti loquitur, ad Studium Neapolitanum tum invitavit: præsertim

Petr. de
Via. l. 3. poterit hæc recitasse. *Conditiones (inquit) quas Scholaribus conscripsit. II.* cedimus, erunt istæ. In primis, quod in civitate prædicta Doctores & Magistri erunt in qualibet facultate. Scholarares autem, undersung, venerint, securè veniant morando, stando, & redeundo, nam in personis quamvis in rebus, nullam sentientes in aliquo lesionem. Hospitium quod melius in civitate fuerit, Scholaribus locabitur, pro duarum unciarum auri annua pensione: nec ultra estimatio ejus ascenderet. Infra prædictam autem summam, & usq; ad illam, omnia hospitia astimatione duorum civium & duorum Scholarium locabuntur. Museum fieri Scholaribus ab illis, qui ad bac fuerint ordinati, secundum quodvis necessitate fuerit datum liberum in pignore & precario restitutis; receptis à Scholaribus fidejussionibus pro eisdem. Scholaris vero qui museum recipiet, iurabit, quod de terra aliquacunq; non recedes, donec precaria restituas,

vel

vel mutuum ab eo fuerit exolutum, vel alias satis factum fuerit
creditori. Prædicta autem precaria & creditoribus non revoca-
buntur, quâm diu Scholares voluerint in Studio permanere. Item
omnes Scholares in civilibus, sub eisdem Doctoribus & Magistris
debeant conveneri. Paulo post: De frumento autem, vino, car-
nibus, piscibus, & aliis quæ ad victimum perirent, modum nullum
statuimus: cum in his omnibus abundet provincia: quæ venden-
tur Scholaribus secundum quod venduntur civibus & etiam per
contradam. Hactenus Cæsar. Jam ante verò in iisdem li-
teris dixerat: *Insuper Studiosos viros ad servitia nostra non sine
meritis & laudibus convocamus: secure illis qui discreti fuerint,
per instantiam Studii, iuris & justitiae regimina committentes.*
Quæ verba videntur spectare ad regimen illius Academiæ
sive Studii, uti loquebantur, Magistris commissum. Ut ve-
rum tamen fatear, fortassis jam antehac Neapoli, ut & Sa-
lerni, ejusmodi libertas saltem ex parte obtinuit. Id sane
uti luspicemur faciunt verba ejusdem Cæsaris ad Capita-
neum Siciliae super reformatione (uti habet argumentum e-
pistolæ) Studii Neapolitani. Quæ hæc sunt. *Ad hoc igitur epi-
nam salubre convivium Magistros quos liber & Scholares hilariter
invitamus: fidelitati tua mandantes, quatenus præsens benepla-
situm nostrum per jurisdictionem tuam solenniter studeas publi-
care: firmam singulis fiduciam oblaturus, quod immunitates &
libertates omnes, quibus O L I M iam in Neapolitano quam in Sa-
lernitano Studii urbi & gaudere sunt soliti, faciemus universis &
singulis illuc ire volentibus inviolabiliter observari.* Cæterum
ut obtinuerit ejusmodi quædam libertas jam ante, tamen
& hanc ad exemplum illius per Fridericum I Cæsarem
concessæ ortam, nemo temerè diffitebitur.

Etiam PARISIIS seriùs cœpisse, adeoque non nisi ad
exemplum illud laudatum constitutam esse Scholæ illi suam

T 3 liber-

libertatem, certius pene affirmaveris. Principi sane Ludo-
vico IX Regi, illi qui sanctorum ordinis est infertus, tribu-
Vide Mid.
dendorp. I.
6. de Ata-
366.

unt hæc quæ jam recitabimus. Concedimus & volumus quod o-
mnes & singuli, de quacunq; natione vel regione oriundi, de corpore
dem. pag. Universitatis Parisiensis existentes & esse volentes, ad eam acce-
dere, morari, redire, & se, nuncios suos, resq; suas utiles trans-
ferre pacificè, & liberè absq; ulla inquietatione possint, sicut melius
videbitur ipsis expedire. Hæc autem est ipsa authenticæ
nostræ Cæsareæ non nisi pars prior. Non dubito autem &
reliqua ab optimo illo Rege addita: utpote quum certum
sit, hunc privilegiorum & immunitatum concessione Pari-
siensem Scholam ab imminentे interitu vindicasse: quod
uno hoc utique effici non potuit. Rem omnem narrare
hic verbis Pauli Æmilii locupletissimi Gallicarum recum

Paul. AE-
scriptoris nihil impedit, imò res exposcere videtur. Lute-
mil. l. v.
Histor. in tie, inquit ille, florebant liberalia studia: juventutis concursus
Ludovici undiq; illuc fiebat. Scholastici suorum nonnullos à civibus pulsa-
IX. rebus.

tos conquesti, alii in alia ceterarum urbium musea concessere.
Anglus (is erat Henricus III) propositâ ingenium premio-
rum, honorum, vacationum, emolumentorum spe, aliquot eorum
millia Oxonium elicuisse. Solitudo exiliumq; literis indictum vi-
debatur. Rex non minus decoris liberales artes, humaniora stu-
dia, sacram disciplinam, culrum ingeniorum Franci, quam arma
afferre prædicans, egregiamq; consociationem fore, bellicarum
rerum gloria cum divinarum humanarumq; rerum cognitione do-
ctrinag; conjunctâ: regiæ Urbis cives ad officium colendosq; Do-
ctores discipulosq; revocavit. Suus ingenuus artibus honor habi-
tus. Id quasi anno tertii decimi seculi secundo post tri-
gesimum acciderit, observans Joannes Tilius, diligens re-

Til. in rum Gallicarum scrutator, chronico suo hæc verba in-
Chron. seruit: Schola Parisiensem à D. Ludovico restituitur, qua pro-
pter

pier motus, injurias, & cædes scholasticis illatas dilabebatur. Eam autem Rex Anglia ad se pellicere, & Oxoniam instituere studiebat. Hæc post Paulum Tilius. Videtur vero ejusdem Regis Ludovici rogatu Parisensi Scholæ indulisse Innocentium IV ea quæ Papirus Massonus commemorat inquisens: Auditores Parisiensis Academiæ vœtigalibus exemit (quod tamen quo jure per Pontificem fieri potuerit haud video) Papa.
Mass. I. 5.
de vit. & ne extra Lutetiam per literas Apostolicas super litibus inter eos exortis trahantur, primus omnium vetuit Perusii Non. Iunij Pontificatus anno nono: ut in chartario ejusdem Academiæ invenio. Ejusdem Innocentii videtur esse hæc ad Universitatem, ceuloquimur vulgo, Parisensem epistola: Gratiam vid. Mid-vobis facere volentes specialem, statuimus quod nullus in Vni-versitatem vestram Magistrorum & Scholarium, aut Rectorem vel Procuratores vestros, conjungit aut quarumcumque Faculta-tum, seni quenquam alium, profecto vel occasione ipsius Universitatis, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti audeat sententiam promulgare, absq; Sedis Apostolicæ licentia speciali. Et si fuerit promulgata, ipso jure sit irrita & inanis. Fortassis tamen hoc (magnum sane) privilegium denique ab Innocentio VI profluxit, quem Academiæ illi multum indul-sisse, aliunde constat. Utut vero sese illud habeat, Parisis quoque seriùs cœpisse Scholasticam illam liberam jurisdictionem, & non nisi ad exemplum ejus quod constituerat Fridericus Cæsar, ille fortissimus id nominis primus, non potest nec debet negari.

SED antequam pergamus, observanda omnino nobis veniunt etiam illa Authenticæ nostræ verba: Qui verè ad alium judicem vos trahere tentaverit, etiam si causa justissima fuerit, à talis conamine cadat. Hæc, inquam, verba merentur notari: utpote cum sic satis gravipœna in eos qui Studiososos trahere

trahere nituntur ad forum alienum, animadvertisendum
Cæsar censuerit. Non enim alia verborum mens esse vi-
detur, nec aliter etiam illa ab optimis interpretibus vul-
go accipiuntur: quam caussa etiam justissima cadere, qui
tale quid conati fuerint. Ut proinde si iidem in foro com-
petenti velint iterum Studiosum convenire etiam justissi-
mis de caussis, tamen non sint audiendi.

QVANQVAM verò hæc tum ita placuerint Cæsarum
illi maximo & Imperii Proceribus, qui tamen post vixere
Cæsares, Reges, Pontifices, haud parum ab iis discesse-
runt, ex quo frequentiores passim terrarum Scholæ hu-
jusmodi Vniversales, uti vocant, erectæ sunt. Namque
ubivis quidem è medio sublata est illa sibi judicem eligen-
di potestas. Ubivis item loci Dominis jurisdictione in tan-
tum est erpta, ut urbano alicui magistratui se se subjecere,
ubi possit habere judicem alium, Studio amplius non li-
ceat, si sane velit particeps esse immunitatum & privile-
giorum ordini illi concessorum. Certi contra passim
judices instituti, quorum forum sequi Studiosus teneatur.
Quod dubio procul evenit inde, quia optio illa judicis
non potuit non sæpe turbas dare, & nocentem reum omni
judicio subtrahere. Quo nihil est pernitosius in com-
muni vitâ, præsertim si magnus sit nocentium numerus.

Verùm certa illa jurisdictione non ubivis eodem est mo-
do instituta. Seculo enim decimotertio nec non quarto-
decimo, quum raræ essent Scholæ hujusmodi Academicæ,
ingens autem juvenum multitudo literis daret operam,
evenit ut nonnullis in locis aliquot millia ex diversis Euro-
pæ terris convenienter. Testantur annales, vixisse aliquan-
do Lutetiae Parisiorum triginta studiosorum millia. Quod
ut minus miremur olim contigisse, facit Theodorus Go-
thofre-

Vide Filef.
I. de Orig.
Statutor.
Facultat.
Theolog.

thofredus scriptor Gallicus, referens Rectorem Universi-
tatis Parisiensis promisisse, ad exequias regis Caroli II^X^{Goth. Lee-}
tatis remonial. de France
sele ductorum omnem Studiosorum ejus loci cœtum, hunc pag. 43.
autem creditum exceedere numerum viginti quinque mil-
lium. Eduardo I Rege Oxoniæ vixisse millia triginta
Studiesorum, ex Armachano testatur Guiliehmus Camb.^{Cambden.}
denus. Azonis magni illius J^Cti ætate, quæ est tertio deci-
mo seculo, Bononiensi in Academia fuisse decem millia
Studiesorum auctor est Odofredus, magni & ipse nominis
Jurisconsultus. In hac Germania nostra Viennam septem
millia sæpe numerare, scribit Antonius Bonfinius. In eâ ju.^{Bonf. Rec.}
venum multitudine quin & petulantes plurimi fuerint,^{Vngaric.}
quis dubitet? Mittuntur enim in Academias haut pauci mo-^{decad. 4.}
ribus jam ante non bene instituti: ad quos accedente ætate
juvenili, & vivendi majore libertate, sodalium que nume-
ro, vix potest non petulantia nasci. Et sane jam olim iis
moribus infectos illos fuisse, qui suâ ætate literis dabant o-
peram Lutetiæ, multis conqueritur vir probus & doctus
Jacobus à Vitriaco Romanæ Ecclesiæ Cardinalis; is au-
tem diem suum obiit, anno post millesimum dñcente-
simum quadragesimo. Cui rei & annales assentuntur,
quando narrant (id quod paulo ante ex Paulo etiam Æ-
milio & Joanne Tilio recitavimus) ejus seculi tertii decimi
anno tricesimo secundo ita Lutetiæ in mutuam pugnam
exarsisse Studiosos atque Urbanos cives, ut post cladem in-
gentem aliquot millibus Oxoniæ Rege Angliæ invitante
commigrantibus, tota pene interiisset celeberrima
illa schola, ni seditionem hanc prudentia Ludovici Gal-
liarum Sancti regis coercuisset. Etiam Azonis tempo.^{Caccalup.}
re, seculo eodem tertio decimo, quum decem millia Stu^{de modo}
diosorum Bononiæ versarentur, magnam fuisse jam tum ^{studend.}
dec. 10.
versarentur, magnam fuisse jam tum ^{dec. 10.}

vim factionum & criminum , testantur alii iisque non pauci.

Illis moribus atque illo Studiosorum numero, ut necessarium fuit firmare certam jurisdictionem, & momentaneam illam ex votoreorum abolere , ita neque Doctores neque Episcopi juri dicundo pares visi sunt. Habitumque utilissimum fuit, ex ipso Studiosorum numero judices capere: ne quis haberet quod de judice minus favente posset conqueri. Hinc in certas tum nationes, quas dixerunt, divisa Studiosorum multitudo , quarum singulis praesesset unus, qui porrò communem aliquem Rectorem eligerent. Ex quo , cum omnis jurisdictione penes Praesides hos ac Rectorem esset, nova plane jurisdictionis facies emersit.

Ubinam primò id institutum sit, haud temerè dixerim: id observare est, seculo tertio decimo cœpisse, atq; in omnes Scholas, quæ & illo & sequente seculo imò multis post annis fuerunt aut erectæ aut legibus arctius constrictæ, hanc jurisdictionis faciem fuisse introductam. Quapropter hodieque in omnibus ferè Galliæ & Italiae scholis antiquioribus manet illa Studiosorum in varias nationes. Nationumq; Procuratores seu Consiliarios ut vocant distinctio, qui ipsi sibi Rectorem quem ei rei idoneum credunt præficiunt.

Quanquam non omni ex parte idem ubivis obtineat. Habet hodieque, multum immunita licet suâ dignitate, Parisiensis schola nationes quatuor, Francicam, Picardicam, Normannicam, Alemannicam. Alemannicæ autem nomine comprehenduntur primo Bohemi, Lusatii, Poloni, Silesi, Bavari, Dani, Vngari, Helvetii, Basileenses, Moguntini, Treveri, Augustani, Argentinenses: secundo Belgæ, Colonenses, Borussi, Saxones & Lotharingi: tertio, Angli, Scotti, Hyberni. Harum porro quatu-

Vide Ioan.
Filefac. l.
de Orig.
Statut. Fa-
cult. Theoc.
log. Parif.

quatuor nationum cuius sunt duo Pedelli dicti argenteis
sceptris ornati, qui Procuratori (ita appellant) inserviant.
Hi quatuor vero nationum Procuratores Philosophiae ali-
quem Magistrum ex suo ordine in Rectorem eligunt: in me-
moriam ejus, quod prima Scholæ origo ætate Caroli Magni
sola Philosophiae professione ac disciplinâ constiterit.

Patavii jam Urbano IV Pontifice (qui præfuit Roma-
næ Ecclesiæ anno post millesimum ducentesimum sexage-
simi primo, usque in 64) si quidem credimus Antonio
Riccobono id ipsum narranti *libro de gymnasio Patavino*, in-
oleverat, post constituta variarum Nationum discrimina,
ex earum Præsidibus eligere Rectores binos, quorum alter Vide Ric-
cobon. I.
de gym.
Patavino.
Italis alter Transalpinis jus diceret. Et duravit ea consue-
tudo, eodem teste, usque ad tempus illud, quo in gratiam
Francisci Carrariensis, Universitate Studiosorum Philoso-
phiæ Medicinæ & Theologiæ ab Universitate eorum qui
Vtrumque Jus aut docent aut discunt secessione faæta, ex
una Scholâ duæ ibi enatae sunt, statutis & jurisdictione di-
visæ, quavis suum sibi Rectorem suffragiis Consiliariorum,
ut appellant, Nationum suo ex ordine constituerent. Qua-
rum altera hodie Artistarum; altera Jurisprudentum usur-
patur. Reliquæ Italicae Academiæ propius videntur abes-
se à Parisiensium institutis.

At Salmanticensis (quæ Hispanicarum est præcipua)
longè aliam obtinet regiminis rationem. Scribit enim
Antonius Possevinus *libro primo Bibliotheca selectæ capite*
octavo, illi scholæ à Martino V Pontifice præfectum esse
cathedralis ibidem Ecclesiæ Scholasticum qui appellatur,
delata ei amplissimâ auctoritate, (verba recito Possevini)
quæ Studiosos civilibus & criminalibus pœnis posse coercere;
servata provocatione causarum Sedi Apostolice vel ejus admis-

nistris qui futuri essent in Hispania. Rectorem hic eligit ex praecipua Academiæ nobilitate, nec non octo Consiliarios ex octo Hispaniarum regnis, quorum simile est suffragium ad Professores constituedos. Itaq; ibi profecto jurisdictione non est penes Rectorem ex Studiosorum numero electum, nec penes Magistros, sed penes unum e' potissimum collegii Cathedralis Canonorum. Quod forte institutum inde manavit, quoniam clerus illius Cathedralis Ecclesiae Salmanticensis in usum Academicorum Doctorum tertiam suorum redditum partem ultrò quotannis largitur. Quod itidem testatur Possevinus.

Germania serius accepit hujusmodi Scholas, & quidem declinante demum seculo decimoquarto. Etsi enim Vienœ jam anno 1137 aliquam erexerit Fridericus II Cæsar, cum ipso tamen Imperatore videtur non multò post illa concidisse, nec nisi demum anno 1360 renata. Post hæc verò longè plurimæ apud nos sunt institutæ. Observare autem est, antiquiores quidem jurisdictionis ordinem eum ferè accepisse primum qui Parisiis obtinebat, sed plerasq; post mutasse, omni potestate in arbitrium Professorum delata: recentiores autem ab initio statim in eam regimini formam consensile quam nunc passim per Germaniam obtainere cernimus. Manent enim hodieque in illis antiquioribus Nationum discrimina & pristinæ dignitatis potestatisque vestigia. In iis verò quæ præter propter post seculi decimiquinti annum octuagesimum fuere institutæ, ab initio statim omnis jurisdicundi potestas in Professorum collegium, volentibus ita patronis, à Pontificiis aut Cæsaribus fuit translata. Memorat Wiguleius Hund Metrop. in præclaro illo opere quo res Metropolitanæ Salisbur. tom. 2. p. 417. edit. rum scholam à Pio secundo Papa & Ludovico Bavariae Du-

Hund: in
Metrop.
Salisburg.
tom. 2. p.
417. edit.
Geyvoldi.

ce an-

ee anno 1472 confirmatam, initio quatuor insnationes, Bavanicam, Rhenensem, Franconicam & Saxoniam fuisse quidem distinctam, cum potestate singulis semestribus Rectorem ex suo ordine eligendi: sed illud institutum ut moribus minus aptum statim esse abolitum, in Senatum Academicum rejecta tam Rectoris eligendi quam omni reliqua potestate. Et profecto ita est. Institutum illud vetus sequenti ætate nullum habuit usum, quod præ Academiarum multitudine rara postea fuerit Studiosorum in singulis copia, quorum porro longè potissima pars juvenili ætate in Academiam venit, atque adeo quam maxime indiget alieni regiminis.

EX HIS vero manifestum est, et si jam duodecimo seculo per Friderici illam Authenticam crepti sint literarum Studiosi hominum indoctorum foro, sequentibus tandem temporibus justam reipublicæ faciem Academias accepisse: in hanc autem jurisdictionis formam, quæ apud nos in Germaniâ nunc obtinet, non nisi sero demum & vix ante annos centum quinquaginta deventum esse. Nec enim jurisdictionis tantum alia post facies cœpit, sed & mixtum imperium, cuius in Authenticâ nullum extat vestigium, omnibus post Academiis Europæ concessum est. Non enim credo ullam inveniri, quæ non modicam habeat petulantiores coercendi potestatem, per multas pecunias, per carcerem, per relegationem, per exclusionem.

Quid quod nonnullæ & merum imperium in suos sint consequutæ? Quod soli vel negant vel nesciunt rerum Academicarum imperiti. Academias Viennensi illud adscribit disertè Middendorpius: Tybingensi Sichardus: Oxoniensi, Parisiensi, Ingolstadiensi Scipio Gentilis. De Salmanticensi Hispanorum Academia scribit Antonius

V 3

Posse

Middend.
l. r. p. 302.
Sichar. ad
Authent.
Hab. n. 22.
Gentil. ad
auth. c. 8.
&c l. 3. de
jurisd. c. 17.

Possevinus à Martino V Papa concessam Scholaſtico Ca-
 thedralis Ecclesiæ illius loci plenam auctoritatem juris
 dicundicū mero & mixto imperio, Papa ſoli ſervato pro-
 vocandi jure: ceu jam ante narravimus. Quod Acade-
 mia Gryphiswaldensis in poſſeſſione meri ſit imperii, no-
 torium eſt, inquit Matthias Stephanus illius ſcholæ cele-
 berrimus quondam Doctor. Noſtrā hanc Julianam ea po-
 teſte gaudere loquuntur privilegia noſtra. Non ad-
 ducam nunc in medium Academias reliquas, ne ſoli lucem
 videar velle ſcenerari. Non poſſum tamen silentio præteri-
 Bodin. 1.3. re id quod ſcripsit Joannes Bodinus. Gregorius, inquit,
 de republ. XI Pontifex eo rescripto, quo quidem Urbani V & Innocentii VI
 cap. 7. rescripta Pariforum Academie renovavit, illud uno capite ex-
 cepit: ut ſi Scholaſticus homo ſcelus admiferit, Pontificis Parifio-
 rum ſit cognitio: altero capite pro debito quenquam nocti prohi-
 buit. Sed noſtri Reges ac magistratus Pontificiis legibus ſe non
 teneri, ſape declaraverunt. Ita Bodinus. Quamvis verò Pa-
 pali hoc privilegio haud nitatur Parifiensis ſchola, longe
 tamen certiſſimum eſt, non multò post Gregorium XI il-
 lum Papam, ejus imperium merum gravi animadversione
 vindicatum eſſe in Praefectum Virbanum, ſeu Mercatorum
 uti nuncupant; qui cum anno post millesimum quadrin-
 gentesimum tertio aut, ut nonnulli volant, quinto, duos
 Studiosos in furca ſuspendiſſet, eosdem detractos oſculo
 excipere & honestæ ſepulturæ reddere coactus fuit. Resa
 multis adeò extati illi vicinis conſtanter narratur, ut in du-
 biu vocari temerè nequeat. Sed & ſepultura hodieque
 ſupereret in monaſterio Maturinorum, hac tumbae additâ
 Limn. in Addit. ad inscriptione: Hic fabius jacent Leodegarius de Monsel de Nor-
 mania, & Oliverius de Burgeois de Britannia oriundi, clerici
 n. 28. Scholares, quondam ducti adiustitiam ſecularem, ubi obierunt,
 benori-

*honorisice restituti, & hic sepulti Anno Domini MCCCC VIII.
Mense Mayo.*

Cæterum (ut ante dictum) omne hoc quicquid est
meri imperii, non vi Authenticæ Friderici Cæsaris, nec sta-
tim illo tempore quo hæc lata est, sed diu post, idque novo
Cæsarum, Regum, Pontificumque beneficio Academiarum
aliæ atque aliæ consequitæ sunt.

Hic porrò etiam Regius habitus, quo ornantur Recto-
res passim per omnes Europæ Academias, diu post Frideri-
ci Barbarossæ ætatem cœpit. Quando primum Sceptra
argentea cum hac epomide purpurea in Academias vene-
rint, nondum equidem compertum habeo. A Pontificibus
Romanis esse, non dubito. Id enim arguit vel illud solum,
quod ubivis terrarum Europæ hic habitus obtineat. In quæ
loca hujusmodi quid introducendi, nec Cæsarum nec Re-
gum in potestate fuit. Sed & unde omnis purpureus ha-
bitus in clericum & eruditos devenerit nisi à Romanis Ponti-
ficibus? Sanè nemo non videt Epomidem hanc purpuream
Cardinalium Romanorum vestitum æmulari. Et alias, in
Europa quidem, purpureus aut coccineus color à Curia Pa-
pali demum clero est consecratus. Ea propter quoque ni-
hil dubito, post Pauli secundi ætatem primum hoc quic-
quid est in Academias pervenisse. Is enim omnium primus
Cardinales Romanos coccinea hujusmodi veste insignivit,
quos ante Innocentius IV, quo major ordini auctoritas
accresceret, equo & rubris galeris donaverat. Nec enim
vero est simile, Academiarum Rectores ante Cardinales
ipsos hoc invidendo & regio schemate usos. Præfuit au-
tem Paulus ille Papalis sedi ab anno post millesimum qua-
dringentesimum quarto sexagesimo ad septuagesimum
primum. Quotamen tempore an statim & in Academias
vesti-

Vide Pla-
tin in Pau-
lo II.

vestiment isthuc genus penetraverit, equidem dicere non audeo. Sed & parum refert hujus *Paragia* (liceat mihi quod res est fateri) originem primam accurate novisse.

Onuph 1.3. de Pontif. & Cardin. Notari autem meretur quod scribit Onuphrius, Innocentius quartum Papam quum pileum rubrum Cardinalibus erat. concederet, significare voluisse, eos qui in illum ordinem legem. In not. ad *Plat. Inno. cent. IV.* rentur paratos esse debere pro libertate ecclesiastica propriam si opus est viam mortis exponere. Id quod si ita est (nam Pla-

Platia. in vita Lanoc. tina duntaxat narrat factum illud honestandi ordinis causa)

indubie isthuc habitu non subducere tantum omnem Academicum coetum & in scholis creatos Magistros ac Doctores callide voluit Papa imperio Cesarum Regum & Principum, adeoq; sibi uni subjecere, sed & animare eosdem ad imperia ejusmodi etiam legitima omnia excutienda. Et verò ex eo passim cæpere omnes Academicici clericorum ordinis accenseri: recte tamen longe aliter judicavit de Par-

Vide Chop. siensis Academiæ membris supra nobilissimæ illius Vr-

pin. de de- bis curia anno superioris seculi septuagesimo tertio.

mario Franc. I. 27. p. 18. Quamvis autem proprii commodi potius quam studiorum ipsorum gratia tantum non modum excesserint hoc ipso Papæ, videntur tamen etiam ipsi Cæsares Regesq; cum Papis quasi contendisse in ornandis Academicarum Rectoribus. Adeo enim optimis Europæ Principibus curæ fuerunt aliquot per secula Academiæ, ut nihil non ornatorum iis contulerint. Quid enim ad Academiæ auctoritatem conciliandam splendidius possit constitui, quam (ut uno hoc nunc exemplo utar) quod Parisis Universitas pri-

Filescus 1. de Orig. Statutor. Facultat. Theol. mogenita Regis filia audiat, & in solemnibus conventibus Rectori primus locus præ ipso Nuncio Apostolico concedatur? Non multum inferior est conditio Rectoris Academicici apud Vbos. Cedit enim ibi quidem loco non

Archig-

Archiepiscopo tantum sed etiam Papali Nuncio, huic tam
men proximum semper occupat. Lovanii ne Nuncio qui- Middende
dem illi cedit Rector, nisi is simul fuerit Legatus à latere, l.s.p.166.
ceu vulgo appellamus. Sed & ubivis ferè locus proxi- Vernul. I.
mus Principibus aut Patronis Rectori Academico solet I.de Acad.
ultrò tribui. Prudentissimus Senatus Venetus Patavinæ Lovaniës.
Scholæ suæ Rectori non purpura tantum sed & aurea sto- C. 6.
la induere se permittit, & magistratu abeuntem cum Do- de republ.
ctoris titulo exornat, tum torque aureo donatum Ordini Vcn.
equitum S. Marci inserit. Huc verò pertinet etiam illud
quod, ex Cæsarilis Maximiliani singulari privilegio, nostræ
Rector Juliæ simul & Lateranensis Palatii Comitiva pol-
leat, & ipsi Serenissimi Principes Brunsvico Lyneburgici
hanc dignitatem sibi propriam esse voluerint. Quid imus
autem per exempla? Tantum non ubivis ea est Academicici
Rectoris dignitas, ut ex præclarissimorum Jurisconsulto- Menoch. I.
rum sententia, injuria ipsi illata capitali supplicio vindicata; 2.cent.3.de
canda sit, & Papia quoque ita sit vindicata; prout testis est arbitr. Iud.
Menochius. quæst cap.
26. n. 15.

SED QVID ego hisce narrandis immoror? Utinam,
Auditores, tam facile sit hoc munus administrare quam
multum splendoris habet & dignitatis! At me profecto, qui
eam nunc provinciam aggredior, ita hodie ejus terret dif-
ficultas, ut nisi & legibus Academicis, & amplissimo vestro
judicio, Collegæ honorandi, & quod præcipuum est Serenissimi
Principis voluntate, quæ mihi non potest non pro
lege esse, huc adactus essem, numquam illam suissem aggressus.
Etsi enim in vobis, Patres Academicici, post Serenissimum
Principem nostrum, cuius ego vices nunc gero, ma-
gnum mihi sciam præsidium positum: quin vestra etiam, O
Juvenes, & virtus & erga me benevolentia non ferat quic-

quam sequius de quoquam suspicari: nihilominus nescio
 qui haud levis & timor & horror me quasi circumdat. Faxit
Deus Opt. Maxim. ut vanus ille sit, inque gaudium mutet.
 Ego quod suscepi cogor seriò nunc tandem aggredi. Ejus
 autem uti ritè fiat exordium & more prisco, age Tu Præ-
 stantissime & ornatissime Juvenis N. N. concende hanc
 cathedram inferiorem; & commilitonibus tuis primò Se-
 renissimi ac Reverendissimi Principis ac Domini, Domini
 Friderici Ducis Brunsvicensis & Lyneburgensis, Postulati
 Coadjutoris Episcopatus Ratzburgensis, Electi Præpositi
 Archiepiscopatus Bremensis, Domini nostri clementissimi,
 rescriptum, deinde Legum nostrarum compendium illud
 quod passim exstat, clara ac distincta voce prælege.

* * *

Audivistis quæ mens sit Serenissimi Principis, audi-
 vistis item quidem fibi velint leges, Auditores humanissi-
 mi. Eo autem simul unicuvis jam liquet, cum quid meum
 quid vestris sit munieris. Nec tamen jam ante, O optimi lu-
 venes, quisquam vestrum potuit officii sui rationem igno-
 rare. Versantur enim inter manus vestras hæ ipsæ leges,
 & quotidie legendæ hoc in loco ac conspiciendæ propo-
 nuntur. Ne nunc dicam, quod pauculis exceptis omnes ille
 neminem recte natum educatum que possint fugere ut quæ
 non heri aut nudiis tertius demum valere cœperint, sed
 jam ante mundum hunc conditum probatae Deo, inde
 cum ipsa hominum origine in notitiam pervenerint Neu-
 tiquam enim vobis leges proponimus more Romanorum
 Prætorum veterum, in annum unum valitas de cætero
 mobiles imò momentaneas. Nihil penè nostrarum non du-
 rabile ac perpetuum imò jam æternum. Nam & quas ex
 constituto produisse dixeris, ab honesti illa & justi æterna-

natu-

natura vel parum vel nihil abeunt. Contra certè non pugnant. Quod hīc demonstrare non patitur institutum. Nihil itaque superest, quām ut & ego & vos pro se quique, id quod officii ratio posulat, prāstemus. Atque de me quidem promptam voluntatem, omnia iuta, privilegia, & quæ alia aut totius Academicī sunt corporis, aut ad Vos (O carissimi Iuvenes) seorsim pertinent, conservandi tuendique, audeo hīc publicē polliceri. Vestrūm jus meum jus est, vestra injuria injuria mea. Absit enim ut vos, quorum tutelam ipsa natura, Cæsares, Reges, Principes tam sanctè nobis commendarunt, nobis scientibus impune quisquam lacestat. Quisquis vos læserit sine discriminē is & me & Senatum Academicum vindicem experietur. Namque ut & ante dixi de me non nisi voluntatem pollicor: facultatem autem & Serenissimus Princeps meus & Amplissimus ille Senatus addet. Qui profecto paterno vos amore prosequuntur. De Vobis, O suavissimi, pariter non nisi optima mihi promitto. Et verò quur non promitterem? quum potior certè pars vestri probis sit moribus atque ad solidam virtutis ac doctrinæ laudem adspiret. Sint itaque nonnulli minus boni. Emendabuntur etiam ipsi, spero, bonorum consortio. Sin, nos certè non patiemur, ut paucorum improbitate aliorum integritas contaminetur: sed illos ut infelix lolium extirpabimus & ejiciemus foras. Vos nimis estis spes Germaniae, Vos estis seminarium reipublicæ labalentis, si quæ ulla post futura est. Vos estis Ecclesiæ nunc passim ruentis solatium. Si Vos regia via ad pietatem & eruditio- nem grassabimini, etiam Germania benè erit, & Republica pariter atque Ecclesia revirescat. Sin minus, actum est de Republ. actum de Ecclesiâ, actum de vobis omnibus.

X 2

Sed

Sed, Dii meliora piis erroremq; hostibus illum. Quin potius, ô boni. vincite ipsam spem nostram; contendite mecum cumque Senatu Academicō, quis alter alterum diligentia & industriā possit superare. Ita feliciter decurret nobis omnibus hic annus. Ita Deo & hominibus erimus grati. Quod uti fiat, Te ego, Deus Optime Maxime, oro obsecroque,

DISSERTATIO SEXTA

RECITATA PRIDIE KAL. IULII
ANNO CICD IDCXL+

Quum magistratum Academicum deponerem.

Multum profectò debet respubl. Academicā proximorum quinque seculorum optimis maximis Principib⁹. Quanquam enim de re literaria ejusque cum magistris tum studiosis præclarè meriti sint Ægyptii, Græci, Romani; neque in docentes neque in discentes tamen ea ab illis collata sunt beneficia, (si quod res est velimus fateri, ut debemus fateri nisi ingratiudinis notam velimus incurtere) quibus hodie gaudent, quotquot in Academicis scholis sive discendi gratia vivimus sive docendi munere perfungimur. Totum enim hoc, quo consistit hæc qualiscunque reipubl. forma, quanto abhinc seculo demum est natum: omni à condito hoc universo intervallo sicut ignotum. Id quod quoniam ex hoc ipso loco publice verba faciens, nisi admodum me fallo, luculente alias comprobavi, non à me iterum ostendi nunc parest.

Etsi autem Professores nos per sane multū debeatimus

mus ultimis hisce Cæsaribus, Regibus, Pontificibus, Principibusque: longe maiorem tamen ipsis gratiam debetis vos, O Juvenes, qui in discentium ordine estis constituti. Ut enim alias nunc gentes taceam, sub Cæsaribus jam tum Romanis Professores amplissimis sunt privilegiis atque immunitatibus ornati..

Enimvero ut vacationem civilium munerum, ita & ne hospitem reciperent, à Principibus immunitatem fuisse indultam Grammaticis, & Oratoribus, & Medicis, & Philosophis, jam Vespasianus & Hadrianus rescriperunt, teste Arcadio Charilio. Non iidem quidem sunt Medici, vel Philosophi, vel Grammatici, vel Oratores, cum harum artium magistris: quod tamen in universum indultum est, id multò magis ad magistros pertinere ecquis negaverit? Et verò diserte Paulus I^{CTUS}: *Angariarum praftatio, & recipiendi hospitis necessitas & militis, liberalium artium Professoribus inter cetera remissa sunt.* Sunt autem hi Professores illi, qui Grammaticam ita tum dictam h. e. Φιλολογίας & Rhetoricen docebant: qualium certus numerus civitatibus provinciarum Imperii Romani constitutione Antonini Pii erat definitus. De Rhetorices Professori- bus seorsim, qui tum Sophistæ audiebant, scribit Modestinus, eos perinde ut Medicos qui *τεθωράκι* vocabantur, & Grammaticos & Rethores, quemadmodum à reliquis mu- neribus ita & à tutela & cura requiem habere. Ad Profes- sores quoque videntur pertinere illa Pauli, quæ idem Modestinus recitat: *Philosophi, Oratores, Grammatici, qui pu- blice juvenibus profunt, excusantur à tutelis.* Etiam Legum doctoribus, et si non ubivis, Roma tamen docentibus à tutela & cura, tum temporis jam data est remissio, teste eodem Modestino: adeoque & illi jam tum immunitatis nonni- hil sunt consequuti. Confirmarunt autem non tantum

X 3

sed

Vide ff. de
munerib.
& hono-
rib. l. 5.

l. 10. ff. de
Vacat. &
excusat.
muner.

l. 6. ff. de
Excusat,
§. 2.

Ibid. §. 1.
Ibid. §. 5.

sed auxerunt multum hæc privilegia Cæsares, ex quo
 illi nomen Christianorum ordini dederunt. Variæ co-
 tum constitutiones leguntur in Codice Theodosiano ti-
 tulo de Medicis & Professoribus: quas truncatas partim,
 partim ex multis in unum consutas suo, illaudabilitamen,
 more Tribonianus ejusdem argumenti titulo in Iustinia-
 neo codice itidem exhibuit. Integras nonnullas hic re-
 citare forte non fuerit absque pretio operæ. Medicos, scri-
 psit ad Volusianum Constantinus Magnus, Grammaticos &
 Professores ab his literarum immunes esse, cum rebus quas in civita-
 zibus suis possident, præcipimus. Et honoribus fungit, in jure etiam
 vocari eos, vel pati injuriam, prohibemus. Ita ut si quis eos vexar-
 verit, centum millia nummorum erario inferat, à magistratibus
 vel quinquennialibus exactus, ne ipsi hanc paenam sustineant. Ser-
 vus eius si injuriam fecerit, flagellis debeat à suo domino verbora-
 ri, coram eo, cui fecerit injuriam: velsi dominus consensit, vi-
 ginti millia nummorum fisco inferat, servo pro pignore, donec
 summa hac exsolvitur, retinendo. Mercedes etiam eorum & sa-
 laria reddi præcipimus. Quoniam gravissimis dignitatibus,
 vel parentibus, vel domini, vel iutores esse non debent, fungi eos ho-
 noribus volentes permittimus, invitatos non cogimus. Idem Ma-
 ximus Cæsarum ad populum ita rescripsit. Beneficia Divo-
 rum retro Principum confirmantes, Medicos & Professores litera-
 rum, uxores etiam & filios eorum, ab omni functione & ab s-
 mnibus muneribus publicis vacare præcipimus: nec ad militem
 comprehendendi, neq; hospites recipere; nec ullo fungi munere; quo fa-
 cilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instruant.
 Valentiniani & Valentis Cæsarum in eandem sententiam
 hujusmodi superest rescriptum: Medicis & magistris Urbis Ro-
 ma sciant omnes immunitatem esse concessam: ita ut etiam uxo-
 res eorum ab omni inquietudine tribuantur immunes, & ceteris

oneribus publicis vacent: eosdemq; admilitiam minimè comprehendendi placeat: sed nec hospites militares recipient. Denique & Honorii quoque & Theodosii Cæsarum præclare admodum est constitutio. Grammaticos, inquiunt illi, Oratores atq; Philosophie præceptores, nec non etiam Medicos, præter hac quæ retro latarum sanctorum auctoritate consecuti sunt, privilegia, immunitates q; frui hac prærogativa præcepimus. Vt universi, qui in sacro palatio inter Archiaeros militarunt, cum Comitiam primi ordinis vel secundi adepti fuerint, aut majoris gradum dignitatis ascenderint, nulla municipali, nulla curialium collatione, nulla senatoria vel glebali descriptione vexentur: & seu indepta administratione, seu accepta testimoniali meruerint missionem, sint ab omnifunctione, omnibusq; muneribus publicis imunes: nec eorum domus, ubicumq; posite, militarem seu judicem suscipiunt hospitandum. Quæ omnia filii etiam eorum & conjugibus in libata præcipimus custodiri, ita ut nec ad militiam liberi memoratorum trahantur inviti. Hac autem & Professoribus memoratis, eorumq; liberis deferenda mandamus. Hactenus illi Imperatores de Professoribus,

Quanquam verò in omnibus hisce constitutionibus nulla Theologiae, nulla Romani Iuris, nulla Artis Medicæ Professorum fiat mentio; procul dubio tamen non alia id de causa factum, quam quod horum ea ætate per exiguis esset numerus & ex parte certis iisque paucis locis circumscriptus, ceu alias denonstravimus: quodque Medicis in universum simpliciter omnibus jam tum abunde esset à multis seculis cautum. Diserta tamen etiam Legum doctorum mentio per Tribonianum injecta est, auctoritate Iustiniani Cæsaris, lege sexta Codici de Medicis & Professoribus; et si eorum non meminisset Constantinus Magnus, cui illa constitutio per Tribonianum adscribi. Sed & iam ante Theodosius & Valentinianus Cæsares

fares Legum magistros Vrbis Constantinopolitanæ, non minùs atque ejusdem Vrbis Professores Grammaticos & Sophistas, post viginti annorum sedulum ministerium, jusserant anumerari hisce qui Vicaria dignitate tum censemebantur. Qui honor illa tempestate sic satis magnus habebatur, neque haec tenus literarii quidem ordinis hominum ulli præterquam solis Archiatri Cæsarei palatii erat tributus. Superat Honorii & Theodosii secundi Cæsarum de Archiatri constitutio illa, lege unica tituli sextidecimi, libro sexto Codicis Theodosiani Eodem libro titulo vicesimo primo exstat ejusdem Theodosii & Valentianini secundi rescriptum ad Theophilum Praefectum Vrbis, duodecimo post anno (ut ex Fastis consularibus colligere est) exaratum, *de Professoribus qui in Urbe Constantinoplitana docentes ex lege meruerint Comitivam*. Non illud pertinet quidem promiscuè ad Professores omnes, (quod non nullis tamen placuit non infimæ notæ scriptoribus) sed honor ille singularis fuit illius unius Vrbis regiæ, ceu verba ipsa loquuntur: tamen etiam ita meretur, uti hoc loco recitemus, & integrum quidem, non quale illud in Codice Justinianeo titulo quintodecimo libri duodecimi protulit Tribonianus. *Grammaticos Græcos (inquiunt Cæsares) Helladium & Syrianum, Latinum Theophilum, Sophistas Martinum & Maximum, Jurisperitum Leonium, placuit honorari codicillis Comitiva ordinis primi jam nunc à nostra Majestate perceperis, ita ut eorum qui sunt ex Vicariis dignitate portiantur.*
Quia in re quicunq; alti ad id doctrinæ genus quod unusquisq; proficeret, ordinentur; si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstraverint, si docendi peritiam, facundiæq; dicendi, interpretandi subtilitatem copiamq; differendi se habere patescerent,
& Cæsu amplissimo judicante digni fuerint estimati, qui in me-

MORATO

morato auditorio Professorum fungantur officio: Hi quoq; cum ad viginti annos observatione iugi ac sedulo docendi labore per-
venerint, hisdem quibus predicti viri dignitatibus perfruantur.

Etiam hæc Cæsares illi quos modò laudavimus. Quibus ut aut lucem affulgeamus hodie prolixiore quadam expo-
sitione, aut alia adjiciamus ex illo ævo, non est nostri in-
stituti. Neque enim alio fine isthæc adduximus, quam
uti fiat manifestum, omnino jam olim habitam non levem
fuisse Professorum rationem: utque adeo luculenter pa-
teat, quanto meliorum fuerit conditio docentium quam
Studioſæ juventutis, de cuius privilegiis atque immunita-
tibus nonnihil differere nunc animus est.

ETSI videlicet multa adeo jam isthoc ævo magistris,
adeoque nostro docentium ordini, sint tributa: quod ve-
stro generi tamen, O Juvenes, tum datum, id verò per
est exiguum & propè nihil. Diocletianus & Maximianus
Augusti primi omnium vacationem à publicis patriæ civi-
tatis muneribus, iis qui Beryti in studiis vivebant liberali-
bus, in annum usque quintum vicesimum largiti sunt. Cum
vos adfirmatis, inquiunt Augusti Arabiæ (fortè autem po-
tius Beryti) Scholaribus, (constitutione quæ extat Codice
qui etate vel professione se excusant) liberalibus studiis operam
dare, maximè circa iuris professionem, consistendo in civitate Bery-
tiorum provinciæ Phœniciae: providendo utilitati publicæ & spci
vestrae, decernimus, ut singuli usq; ad vicesimum quintum annum
etatis suæ studiis non avocentur. Scilicet antehac fas erat
quemvis peregrè studiis vacantem domum ad munia reipu-
blicæ capessenda revocare: quo non poterat non impediri
studiorum cursus. Eodem pertinet eorundem Augusto-
rum constitutio, quæ laudato loco continetur: Cum filios
suos patria potestate liberatos, adhuc minores legitimâ etate esse
dicas,

dicas, merito postulas ut liberalibus studiis non avocentur, & ideo muneribus personalibus quæ ad patrimonium non pertinent, non astringantur, si civium inopia non est. Quibus verbis immunitas datur tantum iis qui infra legitimam sunt ætatem, nec nisi à muneribus personalibus quæ ad patrimonium non pertinent, imò tum demum quando nulla est civium inopia.

Vltra hanc immunitatem Studiosis quidquama esse concessum, quo tempore durabat vera & vetus Romano-rum respublica, haud patet. Nihil certè agunt illi qui Academicæ jurisdictionis nostræ primordia ab illa usque Justiniani Cæsaris constitutione arcessunt, qua ille Iuris docendi rationem præscripsit. Præterquam enim quod de solis Romanarum Legum studiosis agat ibi Cæsar, subjecit profecto illos jurisdictioni atque imperio Constantino-poli quidem degentes Præfecti Vrbis, Beryti vero Præfis Phæniciae maritimæ ac civitatis Episcopi: quos scilicet penes & aliâs imperium atque jurisdictione consistebat: optionem fori nullam dat, neq; novum jurisdictionis ordinem instituit: qualis profecto hic noster est.

Non possumus non hoc loco recitare, etsi fortassis justo sint prolixiora, quæ ad Olybrium Præfectum Vrbis de iis qui studiorum gratia Romam tum venerunt (venere autem proculdubio numero sat magno non ad Rethores tantum Grammaticos & Philosophos, quorum & aliâs erat copia, sed Romani Juris doctores potissimum, quibus nusquam alibi in omni Occidentali Imperio schola erat publica) rescripta sunt à Valentiniano Valente & Gratiano, qui simul rerum potiebantur, anno post natum Salvatorem mundi trecentesimo septuagesimo æræ Dionysianæ, si non fallunt nos Consulares fasti. Verba Cæsarum hæc sunt.

sunt. Quicunq; aa Urbem discendi cupiditate veniunt primis ad Cod. THE
 Magistrum Census, Provincialium judicium à quibus copia et danda
 veniundi, ejusmodi literas proferant, ut oppia hominum, & ea-
 tales, & merita expressa teneantur. Deinde ut in primo statim
 proficiantur introiti, quibus perissimum studiis operam uare
 proponant. Tertio ut hospitia eorum sollicitè Censualium norib;
 Officium, quo ei rei imperitiae curam quam adseruerint expe-
 nisse. Idem immineant Censuales, ut singuli eorum tales se in
 convenientibus praebeant, quales esse debent, qui turpem in honestamq;
 famam & consociationes, (quas proxim; curamus esse crimin-
 bus) astinent fugiendas: nevè spectacula, & cœquenter adeant, aut
 appetant vulgo (f. vulgi) intempestiva convivia. Quin etiam
 eribimus porositatem, ut si quis de his nos ita in Urbe se gesserit,
 quemadmodum liberalium rerum dignitas poscat, publicè verbe-
 ribus affectus, statimq; navigio superpositus abjectatur Urbe, do-
 minumq; redeat. His sane, qui sedulo operam professionibus ua-
 vant, usq; ad viceustum etatis sue annum Roma liceat comme-
 vari. Post id vero tempus, qui neglexerit sponse remeare, sollicitu-
 dine Praefectura etiam impurius (f. invitus) ad pariam reverta-
 tur. Verum ne hac perfunctoriè fortasse currentur, precelsa Sincer-
 itas sua Officium Censuale commoneant; ut per singulos menses,
 qui, vel unde veniant, quive sint pro ratione temporis ad Africam
 vel ad catervas provincias remittendi, brevibus comprehendar.
 Hūdun taxat exceptio qui corpororum sunt oneribus adjuncti.
 Similes autem breves etiam ad scrinia Mansuetudinis nostra
 annis singulis dirigantur: quo meritis singulorum institutioni-
 busq; compertis, utrum quandoq; nobis sint necessary, judicemus.
 Hactenus Cæsares. Qui etsi nihil eximi doni conferant
 in Studiosorum ordinem, arguant tamen saltem curam
 publicam ejus jam tum temporis non omnino defuisse.
 Multum vero dubito, num quidquam aliud ex omni, illo

Y 2

qui

quidem, ævo possit adferri in medium, quod comparari possit, imo quod accenserit mereatur iis quæ attulimus.

RECTE igitur rem reputantes non possumus profecto non affirmare, id quod jam ante diximus; nempe ut doctorum conditio illâ Cæsarum ætate fuerit non adeo iniqua, Studiosos tamen neque libertate, neque immunitate, neque alio quodam insigni esse beneficio ornatos. Primam scilicet jurium suorum originem debent illi Cæsari nostro Friderico, isti cui à barbæ colore hostes Itali Barbarossæ cognomentum indiderunt: sed qui inter Germanicos Cæsares, sive animi magnitudinem, sive fortitudinem, sive prudentiam, sive denique res gestas spectemus, nulli cuiquam est secundus.

Günther. I.
2. de gestis
Friderici.

*Est locus Italæ modicūm sejunctus ab Urbe,
Cui, quia pulchra situ placet, inde Placentia nomen:
Planus, & Eridani placido junctissimus anni,
Effundit latos spaciose limite campos.*

In hunc modum canit de campis Roncaliis Güntherus, Friderici illius Cæsaris ævo dignus poëta in *Ligurino*. In illis autem campis Italici regni comitia celebrabat Fridericus ille laudatissimus Imperator, quando communicato cum Proceribus consilio, eorumque consensu impetrato, eam Authenticam condidit, quæ mox ejusdem jussu inserita est Iustinianei Codicis titulo *Ne filius pro patre*, atque à primâ dictione vulgo *Hibua* cognominatur. Non erat tunc in immenso illo terrarum tractu, per Italiam Germaniam Galliamque illam quæ Germanici est Imperii portio, ulla schola publica, qua vel Theologiæ arcana, vel Philosophia atque Artes liberales, vel Medicina, vel denique Romanae leges sive disserentur sive docerentur, præter unicam Bononiensem. Vbi recenter iterum inventarum Roma-

Romanarum legum professio, magnâ orbis admiratione, magnoque concursu (ceu fieri aſſolet in re nova, maximè apud imperitum vulgus) nullius autem scientiæ professio alia, niſi forte rudioris cuiusdam literaturæ, paulo ante cæperat. In eorum igitur qui Legum studio tunc occupabantur gratiam potissimum Cæſar Authenticam condidit. Quod ſc. in toto Imperio Germanico nec Studiosus nec doctor aliis penè quisquam studiorum gratia tum peregrinaretur.

Eius laudatissimæ constitutionis ſunt quidem varia beneficia: quæ tamen (niſi admodum fallor) ad duo capita meritò reduxeris: quorum alterum eſt vivendi ſecuritas, alterum fori optio. De ultimo ante hosce ſex menses uberioris ex hoc loco mihi eſt di&um. Quando ſimul oſtendi, non multò pōſt id defiſſe gravifimis de cauſis: non permittente ſcil. juvenili Studentium temeritate ac petulantia optivum illud atque incertum fori genus. Cujus loco ergo cæperit mox, erectis paſſim plurimis ſcholis publicis, certa alia jurisdictione, eaque aut ipſi Studiosorum ordini, quod & hodie in Italiſ obtinet, aut magiſtris eorum demandata, quod Germaniæ fere omni eſt uſitatum. Cæterū (ut ante dixi) hæc à me ſunt jam ante ſex menses in auguſto hoc confeſſu latè perorata: itaque hodie ſanè minime repetenda. ſecuritas illud beneficium quale ſit, non inter omnes conſtat: quod videlicet alii aliud illā voce velint ſignificatum. Video certè per quam multos ad vetigalium tributorumque id immunitatem extendere, paucis aliis reclamantibus.

Cæterū Imperatoris quidem mentem fortassis haud adeo eſt difficile intelligere, modo ipſa illius verba ea quā par eſt diligentia atque attentione expendantur. Omnis inquit ille, qui cauſā ſendiorum peregrinantur Scholaribus,

& maxime divinarum atq; sacrarum legum Professoribus. Scilicet si quando & Professores studiorum gratia peregrinantur. Neque enim hoc loci Professor est alius, quam qui docendi provinciam in se audet suscipere, et si salario non doceat, quod alias ostendimus. His omnibus (pergit Imperator) hoc nostra piezaris beneficium indulgemus: ut ad loca, in quibus literarum exercentur studia, tam ipsi quam eorum nunci i veniant, & in eis securè habiente. Securitas itaque indulgetur primù ad loca in quibus literarum exercentur studia veniendi, deinde in illis locis habitandi. Securitas ergo bina est & geminata. Qualis verò illa? Nisi admodum fallor, videtur Imperator ipsummet sese explicare, verbis mox subsequentibus. *Dignum namq; (inquit) existimamus.* Vbi nō Namq; causalis est vocula: adeoque indicat, iis quæ sequuntur rationem reddi quamobrem ejusmodi securitas indulta. Pergit itaque: *Dignum namq; existimamus;* ut, cum omnes bona facientes nostram laudem & protectionem omnino mercantur: quorum scientia, totus illuminatur mundus, & ad obedientum Deo & nobis ejus ministris vita subjectorum informatur, quadam speciali dilectione eos ab omni injuriā defendamus. Securitas erga indulta defensio ac tutela est ab omni injuriā. Hinc verò omnino patet, non indulgeri securitatem à vectigalium tributorumque collatione. Nisi profectò injuriæ vocabulo vectigalium tributorumque præstationem ipse Imperator significaverit. Quod nescio an cuiquam possit videri verisimile. Cum vectigalia ac tributa pendere nequaquam injuria quædam simpliciter sit, sed sæpe jus merum. Quid, quod ipsem Imperator mox adjiciat, qua injuria tum afficioleant Studiosi? *Quis enim (subdit) eorum non miseratur,* qui amore scientia exules, facti de divitibus pauperes, semetipos

exinde

ex iniuriis, vitam suam multis periculis exponunt. & à viliissimis sapè hominibus (quod graviter ferendum est) corporales injurias sine causa perferunt. Pergit idem atque concludit: Hac igitur generali & in perpetuum valitur à lege decernimus, ut nullus de casero tam audax inventariatur, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre præsumat, nec ob alterius cuiuscumq[ue] provincia delictum sive debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus) aliquid damnum ei inferat. Hæc Imperator.

Ex quibus manifestum profectò est, per securitatem intelligi securitatem ab injuria, eaqué partim corporali, partim illâ quæ olim ἐνεργειαὶ μὲν aut pignoratio dicta est, quamque recentiores Jurisconsulti repressalia, Galli literas marcæ appellant. Ea nimurum tum erant tempora: ut multum imminutâ Cæsarum auctoritate, nusquam fermè tuta pax, injuria vero tantùm non ubivis obtineret. Quo malo Germania cum primis laboravit. Unde non multò post idem Imperator Fridericus adactus est, leges de non inferendâ injuria deque pace promulgare. Testatur idipsum Conradus Abbas Vrspergensis ad annum 1187 hisce verbis: *Eo anno Fridericus Imperator conventum Principum apud Nurenberg coadunavit, ubi de pace terra dispositus, & in literas redigi iussit. Quas literas Alemanni usq[ue] in præsens literas pacis vocant: nec aliis legibus utuntur, tanquam gens agrestis atq[ue] indomita.* Quanquam igitur peregrinus omnis ab injuria sit tutus jure divino, jure natura, jure gentium, jure civili; ut tamen istius ætatis erant mores, necessum fuit nova lege munire innocentiam peregrinantium Studiosorum. Iis autem moribus, (quando scilicet in armis vigebat) quis dubitet, repressalia, aut pignorationes quoque, in per frequenti imo nimio fuisse usu?

Scilicet

Scilicet habet illa violentæ executionis species locum quendam ubi jus denegatur: sæpe autem per vim etiam ultra extenditur, maximè ubi malis moribus vivitur. Sunt enim bellum aliquod imperfectum repressalia & pignoratio: non semper quidem injustum, persæpe tamen, semper autem permolestum illi contra quem exercetur. Quæ natura quoque est belli pleni ac solemnis. Ab hoc itaque onere, quod etsi non semper, frequenter tamen cum injuria est conjunctum, non posset autem à studiorum proposito non quemvis abstrahere, quo plures ad literarum studia ex ultimis usque provinciis exciret, securos esse voluit, jussit, optimus ille & nunquam satis laudandus Cæsar. Quod profectò beneficium non vulgare est. Certè tanto majus, quanto majus damnum, ac quanto majorem molestiam, pignoratio ac repressalia adferunt.

V S Q V E adeò autem hæc Cæsaris benignitas etiam aliis placuit, ut non successores tantum eamdem confirmaverint: verùm alii quoque Reges, quando & ipsis placuit in scholas publicas literarum gratia juventutem undique convocare, idem prorsus constituerint. Neapoliticum Scholam hujusmodi conderet Fridericus primi illius Friderici nepos dignissimus, quod initio tertii decimi seculi Christiani contigit, ita loquebatur: *Scholares undecung^o, venerint se curè veniant, morando, stando, & redeundo, tam in personis quam rebus.* Quibus verbis legem avi sui quasi explicat. Eodem prorsus tempore Ludovicus id nominis nonus Galliæ rex, qui Sancti cognomentum meruit, quo Parisiense quoque Scholam Theologicis & Philosophicis studiis florentiorem redderet, in hæc verba edixit: *Concedimus ac volumus, quod omnes & singuli de qua^{cung^o} natione vel regione oriundi, de corpore Universitatis Parisiensis existentes,* & esse

Vide Petr.
de Vineis
l. 3. Epist.

& esse volentes, ad eam accedere, morari, redire, & se, mancios
snoꝝ, resqꝝ suas, ubi liber transferre pacificè & libere absqꝝ alla in-
quicione possint: sicut melius ipſis videbitur expedire. Quæ Midden^{us}
edicti verba refert Middendorpius, & nos ex illo nuper
adduximus. Certum etiam est, nullam fortè Scholam pu-
blicam ex eo tempore fuisse erectam (fuerunt autem in-
ſtitutæ per Italiam, Galliam, Germaniam, Hispaniam, & Se-
ptentrionales regiones plurimæ) cuius alumnis par ſecu-
ritas non fuerit data.

Seorsim Aureliae in Galliis, Nationis Germaniae Stu-
diosiscautum est. Primo ut sint in singulari Regis tutelâ,
ſive eo profiſcantur ſive inde diſcedant belli pariter ac
pacis temporibus: Secundo, ne tempore belli po-
ſint capi vel detinari, etſi eorum Principes iplſimet Regi
bellum indixerint. Ideoque contra Nobilem nonnemi-
nacm Gallum, qui Germanum quempiam Studiosum eo
nomine detineri curaverat, quod ipſius frater bello captus
eſſet à fratre illius Germani, pronunciatum in Curia fuit
Aurelianensi anno post millesimum quingentesimum
quinquagesimo octavo: id quod refert Joannes Bacque-
tius. Ampliasſe videtur hoc privilegii genus Philippus
sextus Francorum in Galliā rex. Ille enim (recitabo ver-
ba Petri Rebuffi Jurisconsulti Montispessulanii) privilegi-
um concesſit Magistris & Scholaribus Parifiensis Vniuersitatis;
quod bona illorum de quibꝫ in Studiis aluntur, capi aliquæ ex can-
ſanō debent, (verba privilegii reddo ait Rebuffus) considera-
ta occaſione guerrarum, nec alia occaſione quacunqꝫ, per quoscun-
que, cujuscunqꝫ conditionis status vel eminentia exiſtant, pro
nobis aut noſtriſ ſubditis non capiantur, aut aliis quomodo liber
arreſtentur: ne Magistri & Scholaris Vniuersitatis pafata va-
gandi à Studio ſumant materiam. Datum apud Vincennam anno

<sup>l. 6. de A.
cad. p. 365.</sup>

Bacq. de
droits du
dom. de la
Cour. de
France
part. I.
chap. 13.

Rebuff. I.
de privil.
Schol.prio
vilegio 83.

1340 mense Ianuario. Recitat idem Rebuffus planè eodem loco rescriptum aliud ejusdem Philippi Regis, quinquenio post exaratum in Parisiensium gratiam, idque Gallica lingua. Sed quoniam illud magis pertinet ad immunitatem onerum, recitatitur illud non multò post, atque ita commodiore loco,

ITAQVE ut antiquissimum est hoc privilegium omnium nostrum, quotquot vel docendi vel discendi gratia Academicam vitam peregrè degimus: ita & maximè est universale atque communissimum. Multò autem post demum adjecta sunt alia illa, quibus nunc cumprimis res Academicæ & stat & floret & gaudet. Nec in universum omnibus eadem sunt concessa, sed alibi plura alibi pauciora; prout Cæsatum Regum Principum aut Pontificum major minorve fuit liberalitas. Generatim verò si pronunciandū quidquam sit, licet (nisi fallor admodum) secure adfirmare, veteriores Europæ nostræ Academias sensim magis & tardius auctas beneficiis, quam postiores. Cujus rei causa est, quoniam hæc ab initio statim ad priorum exemplum sunt institutæ, adeoque mox à primo exordio impetraverunt quæ aliis illis per partes & longo temporis spatio donata sunt. Exemplum unum pro multis exhibit nobis hæc ipsa Julia nostra. In hac enim Academia creatis Doctoribus ipse Maximilianus Cæsar iis tabulis, quibus Academiam primum instituit, concessit (verba Cæsaris referto) omnibus & singulis gaudere & uti privilegiis, prærogativis & exemptionibus, liberatibus, concessionibus, honoribus, præminentibus, favoribus arg. indulsiis, quibus ceteri Doctores in Bononiensi, Senensi, Pavino, Papiensi, Perusino, Parisiensi, ac Lipsensi, & aliis Studiis privilegiatis promoti ac insigniti, gaudent & uruntur de conseruidine vel de jure. Eoque non profecto est, quod quasli-

quaslibet immunitates quibusvis Academiis sine discrimine liceat adscribere: multo minus ex iis quæ nunc passim in usu sunt pronunciare aliquid est, de antiquissimarum primis initiosis: quasi nempe quibus nunc gaudemus beneficia statim & jam olim recepti perinde usus fuerint. Verum nisi falli & fallere velis, necessum est, ut de singulis pronuncies seorsim, ex tabulis & consuetudinibus cuiusque loci propriis: atq; in exordia singularum immunitatum per partes inquiras. Ita sane deprehendere fuerit ingens discriben, & quæ vulgo antiquissima habentur sero satis in Academium usum concessisse.

NON patitur hic dies per omnis generis privilegia Academicæ sermonem diffundere: tantum addam nonnihil de IMMUNITATE illa, qua gaudetis nobiscum, Juvenes optimi, circa TRIBVTA & VECTIGALIA: quoniam de illius exordio jam ante adicere quædam incepimus. Illa retuli, à quam multis quidem ab Authentica *Habita* arcessi: si quid tamen recte judico, post Friderici secundi ætatem, & quidem forte satis diu post demum, immunitas isthæc certam vim nacta est. Non enim Fridericum id nominis primum Cæsarem *securitatis* voce hoc voluisse, jam ante est ostensum: quamvis fateamur non hodie tantum secùs videri plurimis, sed jam olim ita hanc vocem Bartholom ipsum & Baldum interpretatos esse, quod existimarent securitatem ab injuria nulla lege nova indigere. Multò minus verè probabile est Hugonis Donelli & Petri Gilkenii aliorumque commentum; immunitatem hanc ex quinta lege Codicis Justiniane de Vectigalibus repetentium: utpote quoniam nec ibi quidquam hujusmodi legatur, neque ejus vel vestigium aliquod in omnibus post seculis nisi demum tertiodecimo reperiatur. Cæterum ne

Donell.ad.
Anth.hab.
Gilknius
ibid.

quidem Friderici II ævo illam Cæsarum auctoritate obtinuisse, vel inde liquet, quod in iis privilegiis, quibus hic Cæsar suam Neapolitanam voluit esse ornatissimam, immunitatis istius nulla memoria inveniatur. Sunt autem hodieque in manibus ista omnia; cum primis apud Petrum de Vineis Cæsar's illius Cancellarium, imo etiam à nobis non adeo pridem hic recitata. Omnino itaque omne hoc jus vere debetur benignitati Principum sequentis ævi. & quidem citius alibi alibi tardius.

Videtur autem omnino esse incertum, quis primus & quo tempore illud beneficium indulserit. Enimvero refert

Middend.
l. 6.
de Acad.
pag. 373.
Papir. in
vita Inno-
cent. IV.

Rebuff.
privil. 147.

quidem Middendorpius, idque Papirii Massonii testimonio confirmat, Innocentium IV Pontificem auditores Parisiensis Scholæ vestigalibus exēmis. Fortassis autem vel ipse vel Papirius vel uterque fallitur. Qui enim id potuerit Pontifex Romanus? Forte tamen conatus aliquid Papa est, ea auctoritate qua sibi tribuit jus in omnes Ecclesiasticos, cuius ordinis etiam Studiosi quodammodo nonnullis existimantur. Vero similius videtur quod idem post Rebuffum narrat, Carolum sextum Galliæ Regem in hæc verba decreatum aliquod promulgasse: *Sicutimus quod Parisiis studen-tes immunes sint, ab omnibus impositionibus, & subsidiis, tum su-per vino habito ex hereditatibus aut beneficiis, sive illud vendant minutum sive alias, sive ex frumento & aliis quibuscumq; bonus sibi provenientibus. Item in omnibus bonis emptis ad suum usum, dummodo id Rector fuerit attestatus, qui super hoc primitus ab ipsis receperit juramentum.* Quod beneficium sanè magnum est & alibi parum in usu. Præfuit autem Carolus sextus Galliæ rebus, ab anno post millesimum trecentesimum octogesimo ad subsequentis seculi annum vicessimum tertium, quæ sunt confinia seculorum XIV & XV: & hæc ipsa immunitas, Rebusto teste, data est seculi decimi

decimi quarti anno octogesimo tertio, longo intervallo post Friderici II ætatem. Idem autem Carolus inter alia Monpessulanæ scholæ hoc dedit privilegii: *Rector, Doctores, Magistri, Licentiarci, Baccalaureati, ordinarie & continue legenes, aliique veri studentes, cursus & actus Scholasticos pro adeptione scientie & graduum exercentes, ab omnibus impositionibus, gabellis, quarta parte vini & aliorum fructuum excretorum, tam in suis prædiis patrimonialibus, quam alius ratione beneficiorum Ecclesiasticorum sibi competentibus & pertinencibus, etiam alius personalibus vectigalibus, pedagii, angariis & pa- rangariis sint & remaneant in perpetuum quitti, liberi, franchi, immunes pariter & exempti.* Privilegium integrum recitat Rebuffus: sed nobis nunc satis est unum hoc attulisse. A-
libi idem Rebuffus notat, ab eodem hoc Carolo Rege Stu-
dentibus & Parisiensibus & Montispessulanis data omni-
um munerum eam vacationem, ne ad ulla possint com-
pellere. Attamen (ne quid dissimulemus) jam ante Philippus
Pulcher Parisieni Scholæ tributorum bellicorum immu-
nitatem indulserat seculo rertiodecimo, Philippus Valesius
autem sequente seculo ab omnibus eam oneribus perso-
nalibus liberaverat. Rem ita narrat Rebuffus. *Speciale pri- legium concessum est Scholaribus euntribus Parisios & redeuntibus,* Z 3 Rebuf. pri-
vileg. 146.
ut nullum vectigal solvere teneantur, in hac verba. Concedimus
de gratia speciali & certa scientia, & de nostra plenitudine
*poteſtaris, ne quisquam laicus, cuiuscunq; conditionis vel eminen-
tiae existat, ſive privata persona, Præpoſitus, vel Baillivus, pra-
fatos Magistros & Scholares, aut ad ipsum Studium acceden-
tes, aut ad propria redeuentes, de quorum Scholaritate constabit per
proprium iuramentum, in persona, familia, ſive rebus, occasione
pedagii, tallie, impositionis, conſumæ, vel aliorum hujusmodi per-
sonalium onerum, aut alterius exactio-*nis, cuiuscunq; personam**

A-
vileg. 146.

Idem pri-
vileg. 146.

inquis.

inquietens, molestent, aut aliis quovis modo exorquere praesumant. Hoc concessit Philippus VI Valesius dictus, olim Rex Franciae, anno 1340 in mense Ianuario apud Vincennam. Simile privilegium concessit Rex Franciae Ioannes anno 1360 die 12 Februarii, quod direxit dominis generalibus, ut predictis privilegiis gaudere faciant Magistros & Scholares. Hoc privilegium ampliavit Karolus quintus, ut sint immunes tam in aqua quam in terra, & bona ipsorum & bona suorum beneficiorum quae ad usum habent. Darum anno 1369 die 26 Septembris apud Vincennam. Hactenus Rebuffus. Operæ pretium fortè fuerit & nonnulla heic loci in majus robur ex Stephano Pasquierio, aut potius ex interprete ejus, diligentissimo

Limn. l. 8. Limnæo audire. Ille ita loquitur: Philippus Pulcher edicto de Iure anni 1295 sancivit, ut quascunq; facerez impositiones ad bella ne- publ. Rom. cessarias, Universitas (sermo autem est ipsi de Parisiensi) illis non cap. 9. n. 62. subjaceret. Anno 1299 pro debito reali Scholarem non posse pignorari in suis mobilibus. Et anno 1311 ut Vigilum magister statim in introitu officii juraret, se observaturum in omnibus & per omnia privilegia Universitatis. Et Ludovicus Hurinus ejus filius, qui per annum duntaxat regnavit, ut omnibus Scholaribus licenter supellecstilem suam transportare quo vellent, absq; ullius impedimento. Verum supra omnia magnum est privilegium quod Philippus Valesius ipse dedit anno 1340, quo illos empeos voluit ab omnibus porzoriis, vectigalibus, consuetudinibus, & aliis hujus generis oneribus personalibus, & ut omnibus in processibus non evocarentur Latetia. Verba hæc omnia sunt Pasquierii. Ex Philippi porrò Valesii tabulis, anno seculi quartidecimi quadragesimo quinto Parisiensi Scholæ Gallica lingua traditis, recitat nonnulla Rebuffus, quæ Latine versa non possumus itidem hic silentio præterire. Volumus, ait Rex, quod ex bonis supradictorum Magistrorum

Rebuff.
priv. 81.

& Scholasticorum, nulla bona, qualia & quacumque fuerint, pro praesidiis nostrorum bellorum, neque pro nostra aula, pro aula nostra carissima sponsa Reginae, neque pro nostris liberis, neque pro aliis quibuscumque nostrae prosapia legatis, ducibus, connectabilibus, aut aliis volentibus vel dicentibus se habere jus, in nostro regno quacumque auctoritate licet accipere. Sed tranquille supradictis Magistris & Scholasticis omnia eorum bona relinquuntur. Hactenus Rex ille, Rebusso teste. Quæ si vera sunt (quur verò aliter suspicemur?) appareat: initia immunitatum scholasticarum jacta Parisiis quidem tertii-decimi seculi fine, sed Philippo Valesio demum rege, adeoque seculo quartodecimo, justum illis incrementum accessisse, atque tum demum illam à vectigalibus aliisque oneribus libertatem Scholasticos homines in Galliis quidem consequitos esse.

VERVM hæc in Gallia ita contigerunt. In Italiâ, Germaniâ, Britanniâ, alibi, quando isthæc cœperint, ut quod res est fatear, certò affirmare non possum. Fortassis autem parùm interest sive id nescias sive scias. Ego tamen grati esse animi credo, inquirere in auctorem cuiuslibet boni. Id certum est, hodiè illud immunitatis genus per omnem Europam, quâ quidem Christianæ religioni aliquis honos est, obtinere: quoconque etiam autore in usum venerit. Si conjecturæ est locus, dixerim deberi in Italia quidem, saltim vectigalium immunitatis originem, partim spontaneæ benignitati hominum jam tertii decimi seculi, partim verò Juris Doctoribus veteres Romanas leges in literatorum gratiam liberaliter atque benigne interpretantibus. Enimvero ipsem Accursius, quem initio statim tertii decimi seculi constat magnâ nominis existimatione Jus Romanum Bononiæ docuisse, ad Authen-

thenticam Habita, non illam ipsam Authenticam aut ali-
quod novum aliud Cæsaris rescriptum laudavit, sed in
huac modum glossatus est. Sed an pedagia solvant? Respon-
deo non. Arguit ff. de leg. l. si quando. Item quia in usum pro-
prinm ferant libros & alia. i. de vecti. & commiss. l. universi.
Item quia non est consuetum, ut ff. de publ. & vectig. l. uiii. in
fine. Post Accursum nonnulli (quos inter est Bartolus
ipse & Baldus) libertatem hanc voce securitatis in Authen-
tica comprehendendi, persuadere vulgo conati sunt. At-
que homines quidem alii videntur hoc indulisse Studi-
osis tanquam clericis. Accedente autem Jurisconsulto-
rum auctoritate, haud difficulter in morem trahi potuit
omnibus laudata æquitas. Et verò accessit tandem & Prin-
cipum confirmatio. Sic de Agrippinenfi Academia agens

Middend.
l. 5. de
Acad. p.
367.

Middendorpius, Fridericus Imperator, ejus nominis tertius,
(inquit) omnes & singulos, ex qua cunq; mundi parte studiorum
causa Coloniam aduentes, & redeentes, cum familia & bonis
sub Regalem iussionem suscipiendos, nullaq; de causa in itinere
suo impediendos, arrestandos, ab omni solutione pedagii, zeloni-
i, seu zallie, aut exactiois genere immunes esse debere, sub
gravibus penis sancivit, & executionem Archiepiscopo Col-
oniensi Brabantiae ac Geldrie Ducibus demandavit, Francfor-
dia 4 Augusti anno 1442, regni sui tertie. Carolus Dux Geldria
hoc privilegium peculiari diplomate confirmavit; suisq; satra-
pis, zelonariis & ministris mandavit, ut Doctoribus & Studiosis
Coloniensibus, amicis suis, auxilio & consilio essent: ut cum rebus
& bonis, libere, sine ullo zeloneo, facilius per suas provincias
transirent: pro se & pro haredibus suis. Anno 1514 die 25 Se-
ptembr. Hactenus Middendorpius. Similes autem tabu-
las Cæsarum Principumque alibi etiam fortassis passim re-
perire est,

Sed

SED QVORSVM prolabor sermone? Initiò hoc volebam: ultimis hisce quinque cum primis seculis immortales deberi gratias à nobis, qui in Scholis publicis literarum studio nos consecravimus: quod hoc demum tempore pleraque illa, si non omnia, sint orta & constituta, quibus res Academica conservatur. Eo enim intervallo videntur passim Reges, Principes, Pontifices, certatim dedisse operam exornandæ rei literariæ & adjuvandæ: iis beneficiis collatis, quorum ne umbram quidem in prioribus seculis, apud cultissimas etiam gentes, est invenire. Adeo liberalibus autem benefactoribus quis dubitet æternas deberi gratias? Nec tamen illi quidquam aliud quam rei literariæ commodum videntur spectasse. Ut proinde grati omnes illi sint habendi, qui tantis beneficiis utuntur fruunturque illo fine quo fieri par est.

Quod à vobis quidem, O optima studiosorum corona, hoc semestri spacio Prorectoratus mei esse factum fortassis licet affirmare. Etsi enim interdum contigerit quid secus quām oportuit, saltim à plērisque tamen hoc tempus cum studiorum fructu esse collocatum, nolo dubitare. Id quod mihi sane nunc eo est jucundius, quo majori cum metu munus hoc fui aggressus. Non enim diffitebor, haud sine trepidatione provinciam me hanc subiisse. Verūm equidem Deo Opt. Max. boni omnis datori promotorique, ante omnia gratias debeo quas possum mente concipere maximas: qui inter hos bellum motus, hæc inter pericula, interque has ærumnas quibus Germania tantum non omnis perit funditus, protexit hanc Julianam, eique otium illud fecit cuius bonis potuerimus frui. Magnas quoque gratias debeo Clarissimis & honorandis Dominis collegis meis: qui profecto nullâ in re vel

Aa

confi-

consilii vel rei inopem me reliquerunt. Vobis tamen etiam, O optimi juvenes, haud parum me fateor debere cum pro studio in me vestro, tum pro amore virtutis, quā tempora sperato tranquilliora mihi reddidistis. Magde este, ô boni, & pergit ut cæpistis quietem honestam & literarium otium fovere. Ego sanè hisce quas dixi de causis læto animo possum nunc provincia excedere. Nec vero est quod morer amplius. Igitur quod bene vortat Academiæ huic Juliæ, omnibusque ejus cum Senatoribus tum Civibus; ad Te mea oratio sese deflectit Clarissime atque Eximie Vir N. N. Collega & amice multis nominibus & honorande & carissime. Sexta agitur septimana quum unanimi omnium Collegarum consensu electus es in proximum semestre Academiæ hujus Juliæ Magnificus Prorektor. Confirmavit auctoritate sua nostram electionem Serenissimus ac Reverendissimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus Dux Brunsvicensis & Lüneburgensis &c. Academiæ hujus Rector hodie ac Cancelarius Magnificentissimus Dominus noster clementissimus. Tu vero neque nostræ exspectationi neque Principis voluntati Te defuturum spöpondisti. Exacto itaque semestri illo quo mihi gerendum fuit hoc munus, dies jam adest & hora illa quā provincia hæc tibi venit tradenda. Age igitur, Vir Clarissime, quod felix faustumque tibi nobis ac omnibus bonis eveniat, hanc cathedram ascende & à me accipe cum eainfignia quibus meritò conspicuum Te porro esse oportet, tum & alia nonnulla quibus res Academicæ nostra præcipue administratur.

Accipe igitur primūm hanc purpuream exholoserico epomidem. Regius hic olim fuit ornatus, Pontificum Cæsum,

rum, & Regum unanimi beneficio, tuum munus quod geris quo sit conspectius, Academiis post concessum.
En Tibi & duo hæc sceptræ. Hoc insigne meri mixtique imperii est, quo pollet hæc Julia. Hoc solatum misericordia oppressis: spes egenis: terror malis ac perulantibus ingeniiis.

Trado etiam duo Academiæ sigilla: alterum majus obsignandis majoris momenti negotiis: alterum minus in usum magis familiarem. Penes Te enim hoc semestri erit facultas & Academicæ omnia sigillo confirmandi, & alibi obsignata referandi.

Cape etiam codicem hunc legum & statutorum nostrorum. In hoc habes omnia secundum quæ Schola nostra est dirigenda. Habemus sc. rem publicam non ex cœco regentium arbitratu sed secundum leges administrandam. Quod & tibi non potest non placere: quem minimè prefererit, quam obnoxii mentis affectibus mortales simus, & quam simul iniquus rerum arbitrus sit idem affectus ille.

Accipe & hunc Codicem, album civium Academicorum. Neque enim fas est ignorare te quenquam eorum, qui huc tanquam ad asylum aut potius ad aram atque velut in portum advenerunt. Omnia autem nomina hic videbis consignata. Quod etiam te scio expetere, quâ erga omnes es benevolentia.

En tibi denique & claves: quo videoas nihil arcانum non concredi fidei tuæ. Habes jam claudendi referandique omnia potestatem, prout aut lex id exegerit aut utilitas publica postulaverit.

Sunt quidem adhuc & alia penes me. Sed quæ huc minus

Aa 2

nus commode potuerunt transferri. Recipio autem me isthæc bona fide intra octiduum, aut si quem alium diem in id indicere visum fuerit, tibi traditurum. Intra quod tempus & rationes accepti atque expensi me redditurum, stipulata hac manu policeor.

Atque ita finis jam impositus est meo muneri. Quo nomine iterum Deo Opt. Maximo gratias ago immortales. Quando autem te video Magnifice Dn. Proreector non possum equidem & Academiæ nostræ, & Tuæ Magnificentia, & mihi denique non plurimum gratulari. Academiæ quidem, quod accipiat eum administratorem, qui & prudenter possit & diligenter velit eam regere ac defendere. Tuæ autem Magnificentia, quod ad eum gradum dignitatis perveneris, qui in nostro ordine à Cæsaribus Regibus Principibusque summo semper est honore affectus. Mihi vero quur non gratuler illum successorem? quem singulari amicitiae affectu dudt huius prosequutus, Deum veneror, uti tranquillitate concessa, ita Tuæ Magnificentia provinciam hanc regat, ut proximo semestri Academia non conservetur tantum in quo est statu, sed & magnum capiat incrementum.

ADDEN-

ADDENDA.

Pag. 9, l. 26. memoratis. Et verò de licentia illa sententiendi docendique non potest dubitare, saltim qui obser-vaverit, quantum à receptis in vulgus sententiis Philoso-phorum ejus ætatis placita discesserint. Nec enim quem-quam illorum in jus ideo vocatum legere est post Socratem. Aristoteli enim dies quidem dictus est ab hierophan Diog. La-
ta, verum non quod intra septa Lycei quidquam peccas-
set, sed quasi hymnum Hermiae cecinisset, ejusque statuæ
Delphis curaslet inscribi.

Aristotelem porro scholæ suæ leges tulisse, idque Xe. Idem l. 6.
nocratis qui Academiam tenebat imitatione, singulis item
diebus decem novum aliquem principem scholæ dedisse,
diserte ex Aristippo quodam auctore est Diogenes. De aliis
periinde claro testimonio probare quidem id non licet: ve-
stigium tam en eis reperire est in eo, quod licuerit utique
omnibus, & admittere in scholas, & ab iis excludere quos
collibitum magistris fuit. Neque verò promiscue omni-
bus fores tum patuerunt. Notum est illud Platonis iis
inscriptum: εδεις αγεωμέτρητοι εἰσίτω: & ab eis successore
Xenocrate quempiam rejectum à schola, quod neque mu-Diog. La-
fica neque geometrica neque arithmeticæ didicisset, ncrat. in Xe-
proditum est à Diogene.

De Xenocrate illo scribit quidem Servius, primum Serv. ad
Philosophiæ scholam aperuisse, antea autem in porticibus VI. Encl. illa Sponte
duntaxat Philosophos sua tractasse. Verum & Xenocra-sua vere-
tes videtur in Academia docuisse periunde atque Plato, risq; de j.
quantum ex Diogene colligere est. Et diu post Xenocra-
tem Athenis multi in porticibus docuerunt, ceu de Stoicis
notissimum est. Aperuisse quidem Xenocratem scho-lam, adeoque haud clavis sed apertis foribus docuisse,
demon-

*Diog. in
Polemo.
et.*

demonstrat etiam historia Polemonis, qui ebrius scholam ejus irrupit. Ast verò semper id ab illo esse observatum, non est verosimile. Imò falsum est, si verum narravit Diogenes. Quod tamen proprius est vero, cum Aristotelique quoque eo ipso tempore mos fuerit ad pomeridianas scholas quemvis sine discrimine admittere. Quicquid vero sit de Xenocrate: Aristotelis ejusque sectatorum mos, non nisi selectis auditoribus proponendi τὸ ἀνεγαματικὰ, neminem fugit.

Ipse populus Atheniensis quin ἀνεγαμθεῖα illa Philosophorum munierit legibus adversus petulantiam vulgi, nullus equidem dubito; et si quo id probetur testimonium forte nunc desit. Nec tamen omnino deest, quum testetur

Ael. l. 3.

Var. c. 35.

Ælian. famam percrebuisse, quod in Academia ne quidem rideendi potestas cniquam sit facta, ὑπέρει γὰρ, addit ipse, καὶ παρ- μισθίστω τὸ χώρον ἀβατὸν Φυλαχθῆναι: nam ab injuryia & animi levitate inaccessum hunc locum servare conabantur. Sanè quibus pueriles scholæ fuere tutæ à contumeliâ pudicitiae insidianum, aliquot Solonis leges hodieque supersunt

Æsch. o.

rat. in Ti-

march.

I. Stepk. l. 2.

de Iuris-

dict. c. 23.

Plat. l. 12.

de legib.

in Oratione Æschinis contra Timarchum. Quæ licet ab aliis perperam accipiantur de Philosophicis scholis, verisimile tamen faciunt, Atticam diligentiam ne hic quidem esse desideratam. Tulit quidem & Plato opere suo de Legibus unam, quæ huc pertineat: sed illam in usum esse translatam ab Atheniensibus, non temere crediderim.

Legibus autem cum primis fuisse opus, nemo inficias iverit; modò cogites & vulgi erga literas animum, & numerum auditorum. Bis mille enim Theophrastum audivisse docentem, ex Diogene intelligimus. In hunc usum sanc conscripsit fortassis jam tum Aristoxenus Tarantinus, magni ille nominis Philosophus & Musicus, grande opus

vixit

*Diog. in
Theo-
phrasto.*

νόμων ταῦτα πολλά, cuius librum decimum idem Diogenes laudat testem, quo loco Pythagoræ instituta enarrat.

Idem in
Pythag.

Jam verò licuisse Philosophis etiam successores scholæ suæ instituere, abunde itidem est ex Diogenis monumentis manifestum. Ita enim Platonii Speusippum, huic Xeno-cratem successisse, disertè narrat. Theophrastum quemadmodum elegerit sibi successorē Aristoteles, narrat Gellius. Quum hujus ætate Sophocles, ἄρχων Atheniensis, tulisset legem, ut ne quis Philosophorum præcesset scholæ αὐτοῦ τὴν βασιλείην τῷ δημοφόβῳ, adeoque receptam libertatem hanc iret ereptam; tam indignis modis Philosophi omnes id tulerunt, ut Athenis illi excederint; rati, (nec immerito,) si ex vulgi sententia esset vivendum, actum esse de recta Philosophandi ratione. Nec verò reversi sunt nisi abrogata isthac lege, & Sophocle ipso quinque talentis multato. Indubie itaque & Strato successor designatus est ab ipso Theophrasto. Hic Lyconem successorem ipso testamento scripsit; ut Lycon itidem testamento eligendi facultatem paucis nominatim commisit. Multis aliis hoc historiis comprobare nihil attinet.

Athenas igitur aliquid contulisse in scholas certum est.

Pag. 17. l. 27. *constiterint*. Et verò hac de causâ famum, ut ipsamet Gallicana juventus Juris Romani descendit ergo Romanum petere fuerit coacta: utpote quum una illa schola Juris istius tum temporis fuerit in omni Occidentali imperio, nescio an ullo Cæsarum privilegio, certe quadam longa consuetudine. Quam proinde etiam Cæsari Justiniiano vitum est autoritate suâ confirmare.

Pag. 24. l. 19. *adscribat*. Aëtium hæreticum Aristotelicæ philosophiæ magistros Alexandriae audivisse, scribit Sozomenus: quod tamen non habet Philostorgius Aëtii & allecla & laudator unicus.

Idem in
Speusippus
& Xeno-
crate.

Gell. l. 13.
Noct. At-
ticar. c. 5.
Diog. in
Theophr.

Diog. in
Stratone
& Lycone.

Vide Alia-
ferram l. 3.
rer. Aqui-
tan. cap. 5.

Sozom. l. 3.
cap. 14.
Philost. l.
3. tm. 15.

Pag.

Pag. ēad.l. 28. docuisse. De Hypathia Theonis, magni illius Mathematici, filia, fœmina singularis sane ingenii, quam innoxiam Alexandrini, non sine infamia quadam ipsius Cyrilli, crudelissimè interemerunt, scribit Socrates Ecclesiasticæ historiæ scriptor, atq; ex illo Cassiodorus: *Hec Santos in literis fecit progressus, ut omnes Philosophos sui temporis superaret: ac non modo in Scholam Platonicam à Plotino deductam succederet, verum etiam omnes Philosophorum omnium præceptiones & disciplinas omnibus qui eam audire volebant explicaret. Quapropter quoiquot Philosophiae studio incendebantur ad eam confluebant.* Etvero hæc illa est ad quam Philosophæ titulo supersunt Synesii epistolæ. A Plotino autem scholam aliquam Alexandriæ fuisse institutam, vix est verosimile, cum nihil hujus habeat Porphyrius in ejus vita. Neque temere legas quemquam Plotini sectatorum ibi docuisse: nisi id fortè fecerit annos aliquot Jamblichus. Plotini tamen doctrinam probasse fese Hypathiæ, non est quod inducere vocemus: præsertim quum constet omni Philosophiæ genere scholam istam floruisse.

Pag. 25. l. 18. vocaretur. Sanctum Didimum coecum Sozomen. Sozomenus scribit, sacræ scholæ Alexandrinæ, in quâ litteræ ac disciplinæ docebantur, fuisse præfectum. Vbi omnino videtur loqui de illo Pantæni ludo: à quo *ναυπλίων* scholam fuisse diversam, verosimile est.

Pag. 26. l. 10. Etis. De Nisibi porrò quod ait Cassiodorus, confirmat *σύγχρονος* sed ex Africæ testimonium, ut Junil. de partib. div. legis. tamen non Hebræis sed Christianis videatur ludum istum tribuere, Junilii Africani. Vidi (inquit ille) quendam Paulum nomine Persam genere, qui in Syrorum urbe Nisibi est edocitus, ubi divina lex per magistros publicos, sicut apud nos (in Africa scilicet) in mundanis studiis Grammatica & Rhetorica, ordine & regulariter traditur. Etiam Antiochiæ tamen ad Oron-

Orontem Christianam Philosophiam & Sacras literas celebris auditoriis professos Carterium & Diodorum S. Joannis Chrysostomi magistros, auctor est Sozome. ^{Sozomeno}
nus. Sed hæc opera fortassis privato studio fuit suscep- ^{1.8. cap. 2.}
pta. Qualem multos passim terrarum præstisitisse, vel
una famosi Aëtii historia nos docet: à quo Tarsi Epistles Pauli explicantem Antonium presbyterum, Antiochiae Prophetas exponentem Leontium auditum, memorat Phi- ^{Philostorg.}
lostorgius. ^{1.3. cap. 15.}

Pag. 32. l. 13. *Iuchasin* (inde enim hausit, et si dissimulaverit) Kirchner.

Pag. 65. l. 21. aliquam multos: imò quamvis Sturmo Abba- ^{oratione}
te una Fulda simul triginta doctores artium linguarumq; , rib. ma- ^{de docto-}
& sexcentos genere claros discipulos aluerit. ^{gnatib.}

Pag. 93. l. 3. *controversum est*: eòq; addit Rigordus, serven-
tiore desiderio doctrinam sacram & quæstiones theologicas doceri.

Pag. 117. l. 8. *professorium*. Et verò cùm ea ætate quinque fuerint dignitatum gradus titulis suis distingui, Illustri. Vide Pa-
stris scilicet, Spectabilis, Clarissimus, Perfectissimus & Egre- ciroll. c. 2.
gius, nullo horum titulorum Professorium ordinem vide-
as decoratum. Non enim qui Dorotheo Theophilo
Anatolio & Cratino à Justiniano tribuuntur, ratione Pro-
fessorii, sed aliorum munierum quibus simul functi sunt illi
Juris doctores, adscripti sunt. Juris antecessorem vero, in
quantum est talis, non nisi Prudentissimum audiisse, ut
Rhetorem Eloquentissimum, facile perspectu est ex ipsis Vid. Cod.
illis Justiniani rescriptis, quæ tamen titulorum prodiga de Vet. jure
penè dixeris. enuclean-
do.

Pag. 127. l. 15. *Μητροπολίτης*: id quod passim fieri ne hodie qui-
dem desuit, quando sacrarum literarum studiosis nondum
ordinatis, utilloquar Ecclesiastico more, homilias ad popu-
lum habendi facultas conceditur.

Bb

Pag.

Pag. 147. l. 9. *vicinissima*. Non diffiteor tamen, jam Accursii ætate videri, non nullos Bononiæ ad criminalia quoq; traxisse Cæsarjs hanc concessionem, repugnante autem Senatu Bononiensi urgere id amplius desuisse. Per Scholares (ait ille) & Doctores renunciatum est Bononiæ quantum ad criminales lites; & sic servatur exceptis Clericis.

Pag. 148. l. 3. *expositus*. Non dissimulabo tamen, fortassis *Dominum* heic non tam loci dominum significare quam doctorem aut magistrum Scholæ. Ita sane ipsem et Accursius, proximus illi temporis, quo lata est authentica, & in ipsa Bononiâ juris peritia clarissimus doctor, vocem illam interpretatur. Et vero illa ætate receptum videtur, ut *νατ' ἐξοχώ δομίνι* titulo à discipulis magistri nuncuparentur. Ita Hostiensis de Azone: *proper verbū As venit Bononiam studium civile; sicut audiri à domino meo.*

Pag. 165. l. 23. *tur*, erant autem hi medentium nominis *omnium vilissimi*, non minus atque sunt hodie,

Pag. 171. l. 30. *defuisse*; & quidem illam Romæ sic satis accurate Magistro census fuisse demandatam, adeoque & ipsimet Vrbis Praefecto, cui septimo loco subfuit Vide Not. Imp. Occident. & Panciroll. c. 10. tum ille census Magister; ut nos docet Notitia Imperii & ad illam in nunquam satis deprædicandis commentariis Guido Pancirollus.

HERM.